This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Vincentii Bellini Ferrariensis De monetis Italie medii aevi ...

Vincenzo Bellini

Digitized by Google

(1023R)
B.4



Digitized by Google

CJ
2921
.B443

Digitized by Google

Digitized by Google

VINCENTII BELLINI
FERRARIENSIS
DE MONETIS ITALIÆ
MEDII ÆVI
HACTENUS NON EVULGATIS
QUÆ IN PATRIO MUSEO SERVANTUR
UNA CUM EARUMDEM
ICONIBUS
POSTREMA DISSERTATIO.

FERRARIÆ MDCCLXXIV.

TYPIS JOSEPH RINALDI
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google



Digitized by Google

Numismatics
O'Sehdi
7-9-28
10-15-27 MAS

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE AMPLISSIMIS

VIVIRIS

COMITI COSMÆ MASI PANINI SAPIENTUM JUDICI
COMITI ACHILLI CRISPI
MARCHIONI FRANCISCO CALCAGNINI
COMITI JOSEPHO FIASCHI
COMITI ALOYSIO RONDINELLI
COMITI JOSEPHO SCROFFA
PONTIFICIÆ FERRARIENSIS UNIVERSITATIS REFORMATORIBUS

VINCENTIUS BELLINI

ILlud mihi ſemper fuit in more poſitum, ut cum vellem ſcriptiones meas typis conſignatas publici juris fieri, eaſdem rei litterariæ in hoc Gymnaſio Moderatoribus libentiſſimé nuncuparem. Scilicet id cum agerem, debitam obſervantiæ meæ ſignificationem iis potiſſimum exhibebam, qui et me ſemper omni humanitatis officio complexi erant, et beneficiis

Digitized by Google

ciis maximis exornaverant, quæ recenſere non eſt ſané hujus loci, ne nimia Vos oratione fatigem. Nunc itaque commiſſurus hominum judicio tertium hoc, quod de Italicis medii ævi Monetis hactenus non evulgatis ſuſceptum Opus nuper abſolvi, ne a veteri mea conſuetudine diſcederem, oculis in Vos ſtatim conjectis, et cæteris omnibus prætermiſſis, in quorum me facilé potuiſſem clientelam recipere, malui auſpicio veſtro, quod facio maximi, Libellum hunc illuſtrare: quem porro Libellum idcircó a legentibus pluris habitum iri confido, quód veſtris nominibus decoratus ad eorum manus devenerit. Eſſet mihi quidem id valdé honorificum, ſi unus mihi dumtaxat ex veſtro numero Patronus obtingeret: cum veró poſſim communi omnium patrocinio dignari, quid mihi, quæſo, poteſt optatius, quid jucundius, quid honorificentius accidere? Nimirum ſinguli illis rebus excellitis, quæ ab eo Viro non debent abeſſe, cujus auſpicio cupiat Scriptor interdum aliquis ſuas ſcriptiones committere. Videlicet nobilitas generis, et ſumma quidem, Majorum facinora, et quidem egregia, Veſtrum quemque jamdudum in multa immortalitatis fama conſtituerunt. Quod veró faciendum eſt plurimi; Virtutibus quiſque mirificis, animique ornamentis diteſcit: quæ ſané pretioſa virtutum veſtrarum ſupellex longé admodum debet et generis nobilitati, et acceptæ a Majoribus gloriæ merito jure anteferri. Huc accedit comitas illa veſtra quædam, et ingenii facilitas, qua

Vo-

Digitized by Google

Vobis ſinguli quorumcumque et benevolentiam, et obſervantiam mirificé conciliatis, quæque nullum omnino nemini de Vobis quærendi locum relinquit. Hæc porro tot et tanta, quibus affluitis, ornamenta, mirum eſt, quantum cùm inſigni quadam navitate, diligentiaque jungantur, per quam toti quidem in eo eſtis, ut Ferrarienſium ingeniorum fructus, et Litterarum gloriam amplificetis. In hac Vos profecto cura, et vigilantia conſtanter verſamini: hæc Vos ſemper reddit de Litterarum bono, de ingeniorum excitatione, de hujus denique loci dignitate, et majeſtate ſollicitos; quæ quidem loci dignitas Vobis ſtudioſé curantibus, eó devenit, ut et mirentur maximé Ferrarienſes, nec externorum hominum admiratio deſideretur. Omnes enim, vix pedibus in hanc loci majeſtatem illatis, non poſſunt, quin ſtatim ſtudioſiſſimam Moderatorum curam promerita prædicatione magnificent, et uno ſermone profiteantur, hìc induſtriæ veſtræ ſubſidio conjuncta reperiri facilé omnia, quæ ſingula ſi alibi videantur, magni habita intuentium ſibi admirationem, et laudes conciliant. Plura præterea dicerem, ſi ad hanc Libelli paucitatem poſſet oratio fuſior accommodari. Verúm, me tacente etiam, quales ſitis, qualia geſſeritis, hoc certé nullius poteſt cognitionem effugere. Accipite interea humaniſſimi ea, qua ſoletis, humanitate qualemcumque hanc de Monetarum antiquitate notitiam, et hoc meæ erga Vos obſervantiæ teſtimonium æqui bonique facite: neque

Digitized by Google

que patiamini ullum umquam tempus abire, quo non possim aliquem auspicii, et benignitatis vestræ fructum percipere.

Ex Publico Ferrariensi Museo IV. Non. Junii MDCCLXXIV.

Digitized by Google

DE MONETIS ITALIÆ

MEDII ÆVI

HACTENUS NON EVULGATIS.

ALEXANDRIÆ.

Oſtremam de Italicis mediii ævi Monetis a nemine adhuc, quod ſciam, evulgatis Diſſertationem ſcripturus; eamdem methodum proſequendo, ab Alexandria, de cujus monetaria officina mihi omnium primo effari datum, initium ſumam. Nummus æreus eſt, et ſummæ raritatis, I. exhibetque in anteriori parte Sancti Petri Apoſtoli Urbis Protectoris imaginem cum ejus nomine in circuitu: in poſteriori vero Crucem lemmate circumſeptam: ALEXANDRIA. Mediolanenſes, Placentinos, alioſque Inſubriæ populos Alexandriam anno MCLXVIII. condidiſſe ex Volaterrano, Blondo, aliiſque rerum Italicarum Scriptoribus didicimus: neque in exponendis cauſſis, quibus fuerit fundata, hic immorabimur. Conrado Imperatore III. Nonas Martias MCLII. e vivis rapto, loco ejus Fridericus Ænobarbus ejuſdem ex fratre nepos fuit renunciatus. Rebus is in Germania compoſitis, et

omnibus, quæ gravi bello gerendo uſui forent, comparatis; biennio poſt Octobri menſe in Italiam deſcendens in Lombardiæ Civitates cœpit inſævire. Aſta, & Derthona dirutis, ac incendio deformatis, Romam anno qui inſequutus citato itinere ſe contulit; ibique XIV. Kalendas Julias in Vaticana Baſilica ab Adriano IV. tunc ſummo Pontifice inter Miſſarum ſolemnia inunctus, et coronatus eſt. Roma digreſſus in Germaniam abiit, triennioque poſt multo ſuccinctus milite in Italiam iterum veniens novas turbas in Alexandrum Pontificem (1), et Inſubres concitavit. Mediolanum, et Cremam funditus evertit, et incolas alió abire compulit; Brixiam, Comum, et Placentiam, agris primùm devaſtatis, in deditionem turpibus conditionibus accepit: cæteræ vero Civitates immodicis pedagiis, ac rapinis ab ejus Præfectis fœdè laceratæ. Luctuoſus hic ſtatus ad annum uſque MCLXVII. perduravit, quo, Friderico ad occupandam Romam profecto, nonnullæ Civitates (2) Germanorum jugum pertæſæ, arrepta opportunitate, inter ſe ſe fœdus iniere, Cæſarianoſque Præfectos, conſtituta die per tumultum exegere: creatiſque de more Conſulibus, in libertatem ſe vendicarunt. Ea re exaſperatus Cæſar, ut Rebelles ulciſceretur, cum exercitu, peſte jam diminuto, Papiam recurrit, et in Conſociatos, qui junctis quas quiſque inſtruxerat copiis ad Placentiam conſedebant, contendit; conſertiſque manibus ad fugam capeſſendam adactus eſt. Ea clade perculſus, Fœderatoſque novis auxiliis erectiores, et firmiores factos agnoſcens, tutiore uſus conſilio, ſequentis anni Martio menſe Germaniam, mentito habitu, triſtis re-

(1) Coacto Friderici juſſu anno MCLX. Papiæ Conciliabulo, Alexander III. a Patribus poſt Adriani exceſſum ad Apoſtolicam Cathedram evectus, tamquam ſchiſmaticus, fuit condemnatus; et Octavianus, quem nonnulli Cardinales adverſus eum cum nomine Victoris IV. evexerant, legitimus Pontifex declaratus. Quibus cognitis Alexander juſta ira incenſus Imperatorem, Antipapam, atque utriuſque fautores diris devovit: et hinc ortum ſchiſma, quod decem circiter et octo annos luctuoſiſſima in Eccleſiam mala intulit.

(2) Urbes, quæ primum in Cæſarem conſpirarunt, et Aprili menſe inter ſe fœdus ſanxerunt, hæ ſunt: Venetiæ, Verona, Patavium, Tarviſum, Mediolanum, Cremona, Brixia, Bergomum, Ferraria, Bononia, Mutina, Regium, Parma, et Placentia.

Digitized by Google

repetiit. Hoc eodem anno, qui fuit milleſimus centeſimus ſexageſimus octavus, Fœderati, et maxime Mediolanenſes, Placentini, et Cremonenſes, ut ſe contra Marchionem Montisferrati, cæteroſque Imperialis factionis ſtudioſos, commodius poſſent vindicare, novam Urbem inter Aſtam, et Derthonam conſtruxerunt; traductiſque ex vicinis locis ad eam incolendam quindecim hominum millibus, de Pontificis nomine ALEXANDRIAM dixerunt, eique devoverunt: qui vero Cæſarianas partes tuebantur CÆSAREAM, aut ad irriſionem *Alexandriam Palearem*, nullius quaſi momenti Urbem, ſive brevi duraturam, vocitarunt. Quod cum Fridericus ſenſiſſet, majoribus quam ante delectibus habitis, in Italiam anno MCLXXIV. deſcendit; occupatoque Taurino, ac Seguſio funditus everſo, ad Alexandriam, alta tantum fovea circumvallatam, IV. Kal. Novembris caſtra poſuit. Præſidiarii ad omnem belli procellam ſuſtinendam confirmati haudquaquam animis defecere; ſed ad omnes aggreſſorum conatus ſtrenue occurrentes valide reſiſtebant. Obſidione per totam hyemem continuata, cum nihil profeciſſet Fridericus, ineunte vere ad inſidias reverſus, clam effoſſo cuniculo, per quod in urbem irrumperetur, ducentos immiſit milites, qui ad noctem Paſchatis eum aperirent, oppreſſiſque portarum cuſtodibus, exercitum introducerent. Verùm Alexandrini per nocturnos Vigiles fraudis admoniti ſumptis armis egreſſos cuniculo trucidarunt, nullaque interpoſita mora, ex portis effuſi in hoſtium caſtra irruerunt, et Cæſarem ad capeſſendam fugam coegerunt. Is cum Papiam ſe recepiſſet, acceptam cladem ulciſci cupiens, rurſus experiri belli ſortem ſtatuit: contractiſque e Germania auxiliis, in hoſtes ad Lignanum agri Seprienſis vicum caſtrametatos perrexit. Pugnatum eſt IV. Kalendas Junias MCLXXVI. ſi quamdiu unquam ante aliàs, armorum, atque animorum ardore, inclinante ſub belli initium ad Fridericum fortuna, acrius tandem Fœderatis incumbentibus, fuſæ, fugatæque Germanorum copiæ; multi ex iis cæſi, plures capti; ſpoliorum quoque, inter quæ Arca militaris, et Cæſaris pretioſiora, præda ingens parta. Tantis cladibus Fridericus affectus ad pacis ſtudia ſe convertit, quæ per Legatos invicem miſſos tractata, tandem ſummo Populorum gaudio anno, qui fuit a Virginis partu milleſimus centeſimus octogeſimus tertius, VII. Kal. Julii

Conſtantiæ ſacramento confirmata eſt. Pace Italiæ parta, Alexandrini ſui juris facti ſucceſſu temporis in Entii Friderici II. Imperatoris filii, hinc Caroli Siciliæ Regis, tandem Guilelmi Montisferrati Marchionis poteſtatem devenere, ſub cujus jugo cum ad annum MCCXC. ingemuiſſent, in eum conſpirarunt. Quod ubi ad Marchionem delatum, de rebellibus vindictam ſumpturus cum expedito militum robore VI. Idus Septembris Alexandriam advolavit; infauſto porro omine; etenim cum aliquando in Cives ſtetiſſet, ſuperatus tandem, interceptuſque in cavea ferrea includitur, ibique anno MCCXCII. VIII. Idus Februarii dolore, iraque conſumptus interiit. Poſt exactum Tyrannum viginti circiter annos Alexandrini libertate uſi ſunt; quo tempore evulgatum nummum fuiſſe cuſum ex characterum forma conjicimus. Hæc de Alexandria ſatis: ad Anconam deveniamus.

ANCONÆ.

I. HAbet argenteus primus in margine anterioris partis epigraphem P. P. S. QVIRIACVS quatuor poſtremis literis in area in formam Crucis diſpoſitis. Hoc eſt *Perpetuus Patronus, ſeu Perpetuus Protector*, ut placuit Muratorio, ſive uti plerique cenſent, quibus adhæreo, *Papa Sanctus Cyriacus:* hacce enim nomenclatura etiam Epiſcopi antiquitus vocabantur, ut videre eſt apud Jacobum Bracium, qui de hac voce unum librum intexuit. In poſteriori legitur DE ANCONA, ultima litera in medio collocata.

II. In antica ſecundi argentei nummi conſpicitur Sancti Cyriaci Urbis Epiſcopi, ac Protectoris imago, elevata dextera in actu benedicendi, ſiniſtra Crucem ſuſtinentis; verbis in gyrum poſitis EP. S. QVIRIACVS. *Epiſcopus Sanctus Cyriacus* (1). Poſtica præfert Crucem cum lemmate DE ANCONA.

III. Verba P. P. S. QVIRIACVS. in prima tertii argentei nummi facie exarata perpenduntur. In circuli ſummitate adverſæ partis

(1) Scire cupiens quis fuerit Sanctus Cyriacus, quo tempore Anconitanam Eccleſiam gubernaverit, et quando ad cœleſtem patriam evolaverit, adeat Diſſertationem a me Ferrariæ typis datam anno MDCCLXVII.

Digitized by Google

tis visitur urbis insigne, subsequentibus vocibus DE ANCONA.

Argenteus quartus ostendit Crucem Sancti Protectoris nomi- IV.
ne circumseptam: a tergo legitur DE ANCONA.

Eadem quoque Crux, et Urbis nomen nobis objiciuntur in quin-
to argenteo nummo, in cujus circuli summitate duæ claves decus- V.
satæ conspiciuntur. Ostendit postica Sanctum Cyriacum stantem, dex-
tera benedicentem, sinistra Crucem sustinentem, cum epigraphe
P. P. S. QVIRIACVS.

In sexto argenteo nummo insculptus apparet Vir cataphractus
currenti equo insidens (stemma a Trajano Imperatore, qui Ur-
bis Portum restauravit, ornavitque, Anconitanis concessum) ad-
ditis in circuitu his vocibus ANCON D. CIVITAS FIDEI; i- VI.
dest *Ancona Dorica* (1) *Civitas Fidei*. In aversa facie eminet
Sancti Protectoris protome, ut in anteriori.

Vir cataphractus Urbis nomine circumvallatus inspicitur pa- VII.
riter in septimo argenteo. In opposita parte binæ claves in de-
cussim trajectæ, cum inscriptione S. KIRIACVS EPS; in me-
dio FIDES.

Argenteus octavus maximam affinitatem habet cum antece- VIII.
denti; verum a diversa matrice prodiisse quis non viderit? Præter
hosce ab Anconitano populo cusos nummos, placuit nobis, ce-
leberrimi Muratorii vestigiis inhærentibus, sex tantum, cæteris
prætermissis, in Marchiæ Provincia obsignatos evulgare: quorum
primus argenteus ostendit Sanctum Petrum in navicula retia tra- IX.
hentem, hisce verbis in orbe exaratis S. PETRVS MARCHIA.
A tergo visitur Sixti IV. gentilitium scutum in Pontificem electi
anno Christi MCCCCLXXI. V. Idus Sextilis.

Sub eodem Pontifice fatis functo pridie Idus Augusti M-
CCCCLXXXIV. percussus est æreus decimus. Ibi protome Divi X.
Petri pectore tenus cum lemmate S. PETRVS MARCH*ia*. In
opposita Pontificis stemma, ut in anteriori.

In undecimo argenteo exhibetur Julii II. Icon tesseraria,
qui fuit Anno MDIII. Kal. Novembris Pontifex renunciatus. XI.
Aversa pars Sanctorum Apostolorum Paulli, et Petri ostendit
ima-

(1) Doricos fundavisse Anconam, ejusque Cives summam semper fidelitatem Ecclesiæ præstitisse, egimus in præcitata Dissertatione, ad quam avidum lectorem remittimus.

Digitized by Google

imagines ſtantes, verbis in limbo poſitis S. PAVLVS. S. PETRVS. Inferius MARC*bia*, et ſignum Monetarii.

Julio die vigeſima Februarii MDXIII. ex humanis rebus ſublato, Leo X. ſeptem et triginta annos natus V. Idus Martii in ejus locum eſt ſubrogatus, ſub quo duo ſubſequentes nummi, argenteus unus, æreus alter prodiere. Præfert argenteus in
XII. prima fronte Sanctorum Apoſtolorum Paulli, et Petri imagines; ſubter Pontificium ſtemma cum inſcriptione S. P. S. P. LEO X. PONT. M., hoc eſt *Sanctus Paullus*, *Sanctus Petrus Leo Decimus Pontifex Maximus*. In averſa facie leonem gradientem unguibus globum tenentem, ſupra quem volitat Victoria ejus capiti coronam impoſitura, cum circumducta epigraphe VICIT LEO DE TRIBV IVDA: in exergo MARC*bia*, et ſignum
XIII. Monetarii. In æreo Leo pariter ex una parte conſpicitur. In altera occurrunt geminæ claves cancellatim diſpoſitæ, et alligatæ, ſupra quas Tiara tribus coronis ornata; inferius MARC*bia*. Non ſine veneni ſuſpicione deceſſit Pontifex Kal. Decembris MDXXI.

Qui ultimo ſuccedit loco nummus ad Clementem VII. pertinet in Pontificem aſcitum XIII. Kal. Decembris MDXXIII.
XIV. Æreus eſt, ibique in anteriori parte ſpectare potes ejus Inſignia, et in poſteriori Sanctum Petrum ſtantem cum literis per gyrum S. PETR*us* MAR*chia* ANCO*næ*. Sub hoc Pontifice Anconitani ea libertate, qua abuſi tandem fuerant, Bernardini Barbæ Caſalenſis Epiſcopi, et Aloyſii Gonzagæ, cui ab inſigni fortitudine Rodomontis cognomen factum, Pontificiarum Legionum Præfecti ſumma arte anno Chriſti MDXXXII. exuti ſunt; etenim Cives cum novum tributum ſingulis Piceni Urbibus a Pontifice impoſitum perſolvere renuiſſent, de iis ſubigendis Barbæ, et Gonzagæ Clemens commiſerat. Hi ergo, ut facilius Cives illuderent, rumore primùm diſſeminato, nonnullas Turcicas naves ob partam de Rhodio victoriam elatas liberè per Adriaticum ſinum vagari, unde non levia maritimis oris, et Civitati incommoda, et pericula oriri poſſe; mandatum inde eſſe Pontificis Magnatibus expoſuere, ad prohibendam Infidelium pyraticam, eorumque conatus retundendos, Anconitanum Portum, et Urbem validis tam munitionum, quam militum præſidiis communiri. Propugnaculis ergo conſtructis, et nova in montis

faſti-

Digitized by Google

TABVLA I
ALEXANDRIÆ



ANCONÆ







Digitized by Google

Digitized by Google

faſtigio Arce ædificata, Urbem quoque per dolum occupare non dubitarunt. Gonzaga, introductis in ſpeciem cuſtodiæ tercentis peditibus, ut odii virus magis obumbraret, ſingularem quamdam obſervantiam exteriori geſtu, ac vultu erga Primates, Populareſque oſtendebat, eoſque blandis verbis, beneficiiſque ſibi devincire ſtudebat. Hiſce itaque jactis ſeminibus, Barba Recineti conſidens ſubitariis ex circumvicinis Urbibus, agriſque collectis militibus, majori, qua potuit, celeritate XI. Kal. Octobris Anconam adoritur, occupataque Urbis porta, de repente nullo obice et Foro, et Magiſtratus ſede potitus eſt. Re ex voto ſucceſſa, poſtero die Reipublicæ Rectoribus, qui repentina aggreſſione deterriti ad proprios lares redierant, ad ſe venire juſſis, ſignificavit, a Pontifice nullam pacem, niſi ſpontanea Urbis deditione habituros: animadverterent, maximam eſſe dementiam exaſperare quem arma Dominum eſſent factura: quod ſi vi agenda res foret, ſe tandem invitos ceſſuros, ſuarumque rerum direptiones ſubituros. Quibus vocibus exterriti, cum ſe undique armis circumventos, et ferrum ſuo, et ſuorum jugulo impoſitum agnoſcerent, ut Cives tutos a populatione præſtarent, ſe ſe, ſuamque Urbem in ejus manibus dimisère, et ſic Ancona ad liberum Eccleſiæ imperium devenit.

AQUILÆ.

IN medio ærei primi argento mixti nummi viſitur leo gradiens lemmate circumſeptus DE AQVILA. Poſtica effulget Cru- I.
ce, verbis in gyrum poſitis LVDOVICVS REX. Joanna Neapolis Regina cum ab amicitia Urbani VI. legitimi Pontificis receſſiſſet, et Clementi VII. Antipapæ pecunia, et armis pertinaciter adhæreret; Urbanus ad tantam ulciſcendam injuriam Reginam diris prius devotam Regno excidiſſe declaravit, et Ludovicum Ungariæ Regem ad avitum Regnum recuperandum ſollicitavit. Aſſenſit Ludovicus, Carolo nepoti Dyrrachii Duci mole belli ob ſenium demandata, qui cum multo milite in exitu anni MCCCLXXX. Romam perventus, et poſtero IV. Nonas Junii in Regem Siciliæ ab ipſo Urbano maxima cum pompa coronatus, Neapolim adoritur, Urbeque unius portæ proditione

SA. DONATVS. A tergo Crux, & lemma, ut in ſuperiori.

In quinto ex eodem metallo compacto repræſentatur Sancti
V. Epiſcopi effigies pectore tenus cum ejus nomine in circuitu. In poſterioris partis limbo legitur urbis nomen, & in area inſculta apparet littera A cum quatuor liliis ad ejus latera ſupra, & inferius diſpoſitis.

In area ſexti ærei minus antiqui nummi inſpicitur ejuſdem Sancti protome, & in circuli ſummitate ſcutulum, in quo Crux
VI. ſubſequentibus literis DONATVS. In poſtica effulget Crux cum lemmate DE ARRETIO. Arretio ab Lodovici Andegavenſium Ducis armis occupato anno MCCCLXXXIV., & Florentinis LX. millium Florenorum pretio venundato; Cives ſub eorum ſtetere imperio ad annum uſque MDII; quo tempore gravi Vitellozii Vitelli Tipherni Toparchæ acerrimi Florentinorum hoſtis impulſu ad rebellionem excitati, ſumptis armis, libertatem inclamant: cumque ad ſedandas turbas Gulielmus Pactius Præfectus, & Alexander Gallileus Prætor in Forum advolaſſent, a populo intercepti in publica Æde ſub militum cuſtodia detenti ſunt. Re ad tumultus auctorem delata, tercentis peditibus in auxilium immiſſis; ipſe VII. Idus Junii cum tribus millibus & quingentis veteranis militibus Arretium properavit, & ad oppugnandam Arcem tormenta convertit. Præſidiarii in iis rerum anguſtiis poſiti, cum nullam auxilii ſpem eſſe animadverterent, extremi periculi metu permoti XIV. Kal. Quinctilis, ſalvis vitis, ac fortunis, in ejus manus dimiſere. Arretini, Arce, ne in poſterum receptaculum hoſtium foret, ſolo æquata, Urbanas res ſub Decemviris ad annum duraturis adminiſtrare cœperunt; quo tempore nummum percuſſum facio: & ſane, ſi literarum formam, omniaque in eo exculpta rite, & ſubtilius quiſquis in monetaria Scientia peritus exploraverit, ſententiæ meæ procul dubio adhærebit.

ASCULI.

ARgenteus primus ſpectat ad Comitem Carrariæ, qui La-
I. diſlai Neapolis Regis armis fultus Aſculum ſui juris fecit anno MCCCCX. Ejus nomen legitur in prima nummi fronte, in cujus circuli ſummitate inſculptus apparet currus præſtantiſſima hu-

Digitized by Google

TAB. II. P JJ

AQVILÆ

ARRETII

ASCVLI

ASTÆ

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

hujuſce Familiæ icon teſſeraria. In adverſa ejus parte ſuperius in circulo viſitur Arx urbis inſigne ſubſequentibus vocibus S. ENNID. D. ESCVLO, quatuor poſtremis literis in area in formam crucis diſpoſitis. Egit hic in Principatu non ultra annum MCCCCXX, duobus poſt ſe relictis filiis, Ardicione, & Opizone, qui cum in eo ſe tueri poſſe diffiderent, honeſtis habitis conditionibus, Martino V. Summo Pontifici urbem ceſſere, ſub quo, ut cenſeo, æreus ſecundus cuſus eſt, in cujus antica eminet Crux cum circumducta epigraphe S. EMINDIVS. Præfert II.
poſtica in medio urbis Stemma, in circulo binas claves decuſſatas, & inſcriptionem DE ASCVLO.

A S T Æ.

IN circulo anterioris partis primi argentei nummi legitur CVNRADVS II., & in medio REX. In poſterioris area emi- I.
net Crux lemmate circumſepta ASTENSIS. Quo tempore Aſta fundata, quive fuerint conditores, non ſatis compertum. Ante ortum Chriſti extitiſſe, & a Romanis Coloniam deductam Plinius, Ptolomæus, aliique fide digni Scriptores tradidere. Sub Romanis ergo conſtanter urbs hæſit, quamdiu eorum res efloruere, quibus evaneſcentibus, in Barbarorum in Italiam irrumpentium, & maxime Longobardorum poteſtatem venit, ſub quorum jugo ingemuit, donec a Carolo Magno Deſiderius poſtremus illorum Rex in ſervitutem abductus eſt. Ab Othone Magno libertate donata populari cœpit adminiſtrari imperio, creatis ad tempus Conſulibus, ſub quibus ita incolarum frequentia, ædificiorum elegantia, ac opibus crevit, ut a Conrado jus Zecchæ anno MCXL. meruerit reportare, quo tempore nummum fuiſſe percuſſum characteres illius ævi in eo depicti nos edocent.

Secundus æreus pauculo argento mixtus nummus oſtendit Sancti Secundi Martyris Urbis Patroni principalis imaginem, verbis in gyrum poſitis SANCTVS SECONDVS. In poſtica II.
viſitur Crux affabrè elaborata: e characteribus in margine poſitis hi ſuperſunt.... STENSIS, ex quibus ſatis evincitur ab Aſtenſi Zecca prodiiſſe. Secundus Aſtenſis ex primaria ejus Civitatis nobilitate a Beato Calocero Catholicæ Fidei initiis ad-

Digitized by Google

huc juvenis inſtructus, & a Sancto Fauſtino Sancti Jovitæ fratre ſacro lavacro aſperſus, frequentibus pietatis, aliarumque virtutum officiis Chriſtianam cœpit colere Religionem. Re ad Sapritium Præſidem delata, cum is ſanctum Juvenem arctiſſimo ſibi neceſſitudinis conjunctum vinculo neque blanditiis, neque minis de propoſito poſſet dimovere; equuleo primum tortus, ac virgis cæſus, dein pice, & reſina ferventi in capite, & ore perfuſus, poſtremò capitis obtruncatione anno Chriſti CXXXIV. III. Kal. Aprilis martyrium conſummavit. Sacrum ejus corpus ab Angelis humatum, & temporis ſucceſſione ab incolis adinventum, fuit in Cathedrali Eccleſia collocatum, ibique uſque in præſens conquieſcit.

Qui tertio ſuccedit loco, nummus æreus eſt, oſtenditque in
III. prima fronte Gallorum Regum Stemma cum epigraphe FRAN. FRAN. AC AST. *Franciſcus Francorum, ac Aſtenſium*, ſubaudi Princeps. In adverſa inſculpta apparet Crux hiſce vocibus circumſepta SANCTA INTERCEDE P. N., nempe *Crux ſancta intercede pro nobis*. Poſt exceſſum Conradi Fridericus ejus nepos, Ænobarbus dictus, ſceptrum tenuit, in cujus primordiis imperii maximas calamitates Aſta perpeſſa eſt; etenim Cives cum ejus mandatis parere renuiſſent, ultricibus armis in eam inlatis, direptioni, ac incendio permiſit, ut ceteræ Urbes ea clade deterritæ, ad deditionem properarent. Ea dein reſtaurata, lapideiſque muris anno circiter MCCLXXX. circumvallata, in elegantem, ac potentem urbem excrevit, & maximum inter Italicas nomen comparavit. At ubi Primatum animos imperii cupìdo invaſit, a priſtina potentia declinavit, & in deterius prolapſa eſt. Contigit vero aliquando, ut Solarii potentiſſimi cives populi favore, Guelphorumque fulti præſidio ſibi urbis dominatum vindicare non dubitaverint, qui cum inſolenter ſe gererent, & plura iniqua perpetrarent, Civium odium in ſe concitarunt. Rotarii itaque, Gattuarii, Caſtelli, Iſnardi, aliique Gibellinæ factionis, non tam præſentium, quam futurorum timore perterriti, Joannis Montisferrati Marchionis viribus fulti in Tyrannos inſurrexerunt, iiſque exturbatis, in Dominum ipſum Marchionem accivere, qui cum haud multo poſt a Solariorum armis premeretur, & ſe in imperio tueri poſſe diffideret; inito cum Magnatibus conſilio, Luchino Vicecomiti Medio-

Digitized by Google

diolani tunc Domino Urbis regimen, quoad viveret, demandatur, quod contigit anno MCCCXLVIII. Poſt Luchinum Joannes ejus frater tenuit principatum. Huic ſucceſſit Galeatius nepos; Galeatio Joannes Galeatius Comes Virtutum, qui Valentinam filiam ſuam Ludovico Aurelianorum Principi uxorem committens anno MCCCLXXXVI. ei dotis nomine urbem aſſignavit. Sæculo revoluto hæreditatis jure ad Ludovicum XII. Francorum Regem Aſta devenit, & hoc functo, ad ſucceſſorem Franciſcum hujus nominis primum, quo imperante nummus percuſſus.

In antica quarti argentei nummi eminet Caroli V. Imperatoris caput corona redimitum, verbis in gyrum poſitis CA- IV.
ROLVS. V. IMPERATOR. Præfert poſtica duas columnas, & urbis nomen AST. Pace inter Carolum V., & Franciſcum Gallorum Regem conciliata anno MDXXIX; Aſtam, uti convenerant, Cæſar ſui juris fecit, quam poſtea Carolo II. Sabaudiæ Duci dono dedit, ſub cujus Progenie adhuc perſeverat; Principatum hodie ſumma cum laude ſuſtinente Victorio Amadeo, quem Deus Optimus Maximus ad ſuorum ſubditorum lætitiam diutiſſime incolumem tueatur.

BERGOMI.

BErgomum vetuſta Inſubriæ urbs ab Etruſcis in jugo montis condita, & a Gallis Cænomanis refecta, & aucta, in Romanorum tandem venit poteſtatem, ſub quibus conſtanter hæſit ad Attilæ uſque tempora, a quo, ut Paullus Diaconus perhibet, adeo vaſtata, & direpta, ut pænè deſerta videretur. A Civibus ad ſua revertentibus paullatim reſtaurata, Barbarorum in Italiam irrumpentium, maximèque Longobardorum jugum ſuſtulit, & hiſce a Carolo Magno domitis, ei Italiæ Reges, & Cæſares leges dixère. Libertatem ad ceterarum Italiæ Civitatum exemplum Bergomates nacti, creatis ſibi Antianis, & Conſulibus ad urbis regimen, fœdera cum circumvicinis populis ſancire, ſuoſque nummos ſignare cœperunt, quorum duos argenteos ejuſdem fermè ectypi hic exhibemus, ex una parte ædificium turritum, & urbis nomen præferentes, ex altera Friderici Imperatoris nomine inſcriptos; & licet ab Ænobarbo jus Zec- II.

chæ

chæ reportaverint, noſtros tamen ex Cæſaris imberbi facie in iis inſculpta ſub Friderico II. obſignatos facimus. Cæterum ut ferè ſemper hominum res fluctuare videntur; Bergomates libertate amiſſa, in Turrianorum poteſtatem devenere anno MCCLXIV; poſtea Vicecomitibus paruere, donec Pandulphus Malateſta ſuo urbem ſubjecit imperio, quod contigit MCCCCXI. Pandulpho octavum poſt annum a Philippo Maria tunc Mediolani Duce exturbato, ad Vicecomites urbs iterum rediit. Verum cum is in Venetos Florentinis conſociatos arma intuliſſet, & ejus copiæ poſt varios belli eventus fuiſſent apud Maclovium oppidum profligatæ; ubi de pace ageretur, in ea anno MCCCCXXVIII. conventum, ut Bergomum Reipublicæ juris eſſet. Anno verò MDIX. cum Pontifex, Cæſar, & Gallus conſociati in Rempublicam arma intuliſſent, ad Caravagium XV. Kal. Junii inſigni Venetorum clade pugnatum; quo tempore Bergomum, Brixia, cæteræque Reipublicæ terreſtres urbes, Tarviſio dempto, in Fœderatorum poteſtatem devenere. At Veneti, ſumma in recuperandis amiſſis urbibus cura adhibita, Bergomo MDXV. potiti ſunt, ſub quibus ad hæc uſque tempora optimis conſtitutum legibus feliciter conquieſcit.

BONONIÆ.

DUos tantum hic dabimus argenteos nummos (cæteris prætermiſſis in noſtris ſcriniis deliteſcentibus) Henrici Imperatoris nomine inſcriptos, a quo Bononienſes poteſtatem cudendi monetas reportarunt anno MCXCI. In ſingulis ex una parte legitur BONONIA, ultima litera in medio collocata; ex altera in circulo ENRICVS, in area I. P. R. T. *Imperator*, literis in formam Crucis diſpoſitis.

I. II.

Argenteus tertius oſtendit Sancti Petronii Bononiæ Epiſcopi, ac Protectoris ſedentis imaginem, dextera urbis typum; ſiniſtra paſtoralem virgam ſuſtinentis, cum ejus nomine in circuitu. In poſteriori nummi facie depictus apparet leo ſaliens vexillum ſuſtinens, ad cujus poſteriores pedes antiquum Bentivolorum ſtemma inſpicitur, cum hoc lemmate in margine MATER STVDIORVM.

III.

In antica quarti argentei nummi parte repræſentatur Joannis.

Digitized by Google

nis Bentivoli pileatum caput, verbis in gyrum positis IOAN- IV.
NES BENTIVOLVS II. BONONIENSIS. Tota postica ab hisce vocibus occupatur MAXIMILIANI IMPERA*toris* MVNVS: MCCCCLXXXXIIII; quo anno Joannes XIV. Kal. Novembris a Maximiliano Imperatore tum in suæ Ditionis locis signandi pecuniam, cum aquilam nigri coloris in gentilitio suo scuto collocandi jure donatus est.

Duo subsequentes, aureus unus, argenteus alter perhibent ejusdem Joannis pileatam faciem, cum inscriptione, ut in ante- V.
cedenti. A tergo Bentivolorum stemma lemmate circumseptum MAXIMILIANI IMPERA*toris* MVNVS. Joannes cum ad an- VI.
num MDVI. Principis libertatis munus apud Bononienses egisset, a Julio II. Summo Pontifice exturbatus Mediolanum se se recepit, ibique ob animi ægritudinem, indignationemque biennio post e vivis abscessit.

In septimo argenteo exhibetur Julii II. Summi Pontificis pro- tome cum circumducta epigraphe IVLIVS. II. PONTIFEX. VII.
MAXIMVS. Adversæ partis area ornatur Sancti Protectoris in sella sedentis imagine dextera urbis typum, sinistra pedum sustinentis, verbis in orbe positis *Sanctus Petronius* BONONIA DOCET; inferius Francisci Cardinalis Alidosii Insigne, qui anno MDVIII. fuit a Pontifice Legatus Bononiæ renunciatus, sub cujus imperio Areosti, Ghislerii, Ranuzzii, aliique Bentivolis ardenti devotione dediti eos evocarunt, fractaque Lammarum Porta XII. Kal. Junias MDXI. Annibalem, & Hermetem fratres Gallicis suffultos armis Duce Triultio in Urbem receperunt: superatis inde, fugatisque Pontificiis copiis, quibus Franciscus Maria Urbini Dux præerat Julii ex fratre nepos, Urbanarum rerum cura suscepta, in æneum Pontificis simulacrum a celebri Michaele Angelo Bonarotio elaboratum graviter insævitum; per fœdissima enim compita a furente populo, novarum semper rerum appetente, tractum, & in frusta (1) discissum. Hæc inter

Ali-

(1) Frusta a Bononiensibus ad Alphonsum Ferrariæ tunc Ducem delata, cum tormentis bellicis juxta eorum pondus, operis tamen pretio detracto, fuerunt commutata, qui cum esset excussor celeberrimus machinam maximi moduli vulgo *Colubrina* elaboravit, eamque a Pontificis nomine *Juliam* dixit.

Digitized by Google

Alidoſius, ut de urbe jam actum cognovit, non ultra cunctandum ratus, ementito habitu, Forum Cornelii, inde Ravennam ſe purgaturus ſeceſſit, & apud Julium ibi conſedentem, ſuam in munere ſibi concredito ſocordiam vindicavit, totamque belli cladem in imperitum Nepotem impegit. Quod cum reſciviſſet Urbinas, ad Pontificem, ſuam cauſſam patrocinaturus, properavit, & Alidoſium per urbem equitantem ſibi obvenientem trucidavit. Quo facto percitus Pontifex extemplo Romam migravit, validiſſimaſque Copias proximo anno amiſſa recuperaturus in agrum Bononienſem immiſit: quibus pertérriti Bentivoli, veteri dominandi libidine dimiſſa, Civiumque precibus fatigati Junio menſe ſe ſe ab urbe abalienarunt. Annibal Ferrariam, quo primum confugerat, reverſus, Familiam ſuam Purpuris, Infulis, Armiſque fulgentem propagavit: Carolo Guidone quinque annorum puerulo ex Guidone (1) nato ævo hoc noſtro ſuperſtite, quem Deus Optimus Maximus ad tantæ Gentis propagationem, urbiſque noſtræ ſplendorem in humanis diutiſſime conſervet.

VIII. Octavus argenteus in omnibus conſonat cum antecedenti, dempto Alidoſii ſtemmate, in cujus loco illud Joannis Cardi-

na-

(1) Liciniam Joannis Comitis Martinenghi Patricii Brixienſis filiam matrimonio ſibi copulavit Guido, ex qua Beatricem, & Mathildem ſuſtulit, quarum prima Carolo Marchioni Valenti Patricio Mantuano fuit deſponſata; altera vero Marcum Antonium Erizum ex primaria Nobilitate Veneta conſortem ſibi thori fecit. Licinia fatis rapta, Bentivolus maſchilis prolis deſiderio captus, viduitatis anno nondum exacto, novas nuptias cum Helena ex Michaele Grimano Senatore Veneto nata, venuſtate, & animi dotibus inſigni V. Idus Junii MDCCLXIV. celebravit, ſuſcepitque ex ea Eleonoram, Mariannam, & Carolum Guidonem poſthumum. Infirma per plures menſes valetudine utens Guido, tandem VI. Idus Januarii MDCCLXIX. vitam clauſit, & in Æde Cappuccinorum, quam Entius ex eadem Familia anno MDCXII. proprio ære a fundamentis extruxerat, ſepultura honeſtatus. Proximo inde menſe die XXV. inter horam decimam quintam, & ſextam ſumma Ferrarienſium lætitia oritur Puer, & in proprio Palatio magnificentiſſime exornato ab Joanne Rondinellio Epiſcopo Comaclenſi V. Idus Maji ſacra unda expiatur, Caroli III. Hiſpaniarum Regis nomine Joanne Comite Zambeccari Senatore Bononienſi Compatris officium ſuſtinente, eique in Regis obſequium, & Patris memoriam Caroli, & Guidonis nomina indita.

Digitized by Google

BERGOMI

BONONIÆ



Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

nalis Medicei fuit collocatum. Is post ejus excessum Bononiensi functus Legatione maximam calamitatem perpessus est; etenim gravi inter Gallos, & Pontificios Hispanis consociatos gliscente bello, cum ei interfuisset prælio, quod apud Ravennam anno MDXII. die sacro Paschæ est actum, ab hostibus interceptus Bononiam prius, inde Mutinam, postmodum Mediolanum perducitur. Cumque stipatus militibus in Galliam traheretur, Abbatis Bongalli, & Raynaldi Zactii ope, ut refert Jovius, libertatem nactus Bononiam se contulit, ubi magnificentissime exceptus est, quo tempore nummum fuisse cusum non ambigimus. Hæc quoque de Joanne non prætereunda duximus; Patriam nempe, a qua cum Familia per decem & octo annos exulaverat, plaudentibus civibus eodem anno recuperasse, & postero post Julii mortem fuisse a Patribus V. Idus Martii Pontificem cum nomine Leonis X. renuntiatum.

Sub eodem Julio percutitur æreus nonus pauculo argento mixtus, in cujus prima facie inspicitur gentilitium Pontificis IX. scutum lemmate circumseptum DE BONONIA. In opposita eminet Sancti Petronii stantis imago, additis in gyrum literis S. PETRONIVS.

Decimus ex puro ære conflatus nummus exhibet Leonis X. in Julii locum suffecti vultum cum ejus nomine in circuitu. X. Præfert postica salientem leonem anterioribus pedibus vexillum sustinentem, cum epigraphe BONONIA DOCET.

In undecimo argenteo insculptus apparet S. Petronius in sella sedens, ad cujus dextrum latus stat Innocentii Cardinalis XI. Cybo parmula, qui fuit a Clemente VII. anno MDXXIV. Bononiensi Legatione cohonestatus. Totam adversæ partis aream occupat urbis stemma, verbis in gyrum positis BONONIA DOCET.

Argenteus duodecimus, dempto Legati tesserario scuto, tum XII. in antica, cum in postica consonat cum antecedenti.

Aureus decimus tertius ostendit in anteriori fronte Clementis VII. Insigne ad Pontificium Solium evecti XIII. Kal. Decembris MDXXIII. XIII. In posteriori Crucem, cum circumducta inscriptione BONONIA DOCET. Inferius ad dextrum latus ejusdem Cardinalis Cybo Stemma, & illud urbis ad sinistrum. Ad hanc urbem anno MDXXIX. Clemens cum Cardinalibus in

Digitized by Google

exitu Octobris, & Carolus V. Imperator, qui cum Pontifice amicitiam (1) redintegraverat, & res ſuas compoſuerat, Nonis Novembris convenère : & poſtero, die XXII. Februarii, ipſe Carolus in Pontificio ſacello ferrea corona, quam Modoeciæ Legati illuc tranſtulerant, & aurea poſt biduum in Æde Sancti Petronii a Pontifice inter Miſſarum ſolemnia inſignitus eſt. Huic coronationi Mediolani, Sabaudiæ, Ferrariæ, ac Urbini Duces, Montis Ferrati, & Mantuæ Marchiones, Principeſque alii, Reguli, & ex equeſtri ordine quamplurimi adfuère, ut ab omni retro memoria nulla unquam major præclariſſimorum virorum multitudo, unius urbis mœnibus fuerit comprehenſa.

In poſtremo ex eodem metallo conflato nummo conſpici-
XIV. tur Paulli III. gentilitium ſcutum in Pontificem adſciti IV. Idus Octobris MDXXXIV. A tergo Crux cum lemmate BONONIA DOCET: in exergo Inſignia urbis, & Cardinalis Bonifacii Ferrerii, qui Legati munere ab ipſo Paullo condecoratus, Bononienſes res cœpit adminiſtrare anno MDXL.

BRIXILLI.

Primus æreus nummus exhibet in anteriori parte Arcem
I. hiſce vocibus circumſeptam BRIXILLI SECURITAS. In poſte-

(1) Gravem ob urbis direptionem Pontifex cum Carolo inimicitiam contraxerat, etenim cum ejus arma Duce Borbonio ad obſidendam Romam ſe contuliſſent anno MDXXVII. & ipſe Borbonius pridie Nonas Maji, dum inter audaciores muros conſcenderet, ſclopeti glande percuſſus interiiſſet, ſuperatis tandem muris, Pontificiiſque deletis Copiis, atque profligatis; aggreſſores per urbem palantes tanta ultionis vi in Cives, Templa, Virgines, Purpuratoſque inſæviere, ut ejus direptio cæteras diverſis temporibus paſſas longe ſuperaverit. Ipſe quoque Clemens in Arce Adriana, ad quam ſub initium conflictus cum XIII. Cardinalibus confugerat, obſeſſus, ut libertatem ſibi, & Purpuratis compararet, ad graviſſimas cum Aurantio, qui in Borbonii locum ſucceſſerat, pactiones deſcendere adactus fuit, inter quas, ut quadringenta aureorum millia Cæſarianis copiis ſtipendii nomine perſolverentur. Conſtituta poſt ſeptem menſes libertatis die, Pontifex ab hoſtium aſtu ſibi timens, ſimulato mercatoris habitu, intempeſta nocte arce egreſſus Urbem Veterem Aloyſio Gonzaga comite ſe ſe recepit.

Digitized by Google

ſteriori vero aquilam expanſis alis, cum lemmate NOBILITAS ESTENSIS. Brixillum, iis temporibus quibus Romana efflorescebat Reſpublica, non ignobilis Galliæ Togatæ ad Padum fluvium urbs, Othonis Imperatoris morte, ſepulchroque (1) clara; ad Authari uſque Longobardorum Regem in ſuo ſtetit ſplendore, a quo, ut perhibet Paullus Diaconus lib. 3. cap. 18., per iram incenſum, funditusque everſum eſt (2). Longobardis a Carolo Magno devictis, Italiaque pulſis, a Civibus, qui cladi ſupererant, atque in vicina loca ibi ſe tutaturi confugerant, aliquantulum inſtauratum, atque in oppidulum converſum, varios, prout ſors tulit, cognovit Dominos, quos inter ultimo loco Eſtenſes, ſub quibus ad ævum hoc noſtrum placidè conquieſcit: qua porro ratione, quove modo eis acceſſerit, placuit nobis in pauca congerere. Philippo Maria Vicecomite Inſubrium Duce a Venetis armis preſſo; Borſius Eſtenſis ex Nicolao III. natus cum MCCXVII. equitibus in ejus caſtra perrexit anno a Virginis partu MCCCCXL; quo in bello cum fortiter navaſſet

(1) In hujuſce Imperatoris ſepulchri loco deſignando non parva eſt inter Scriptores diſſenſio. Suetonius Othonis corpus apud Veliternam tumulatum facit. Tacitus vero ſcribit Othonem cum Vitellio de Imperio decertaturum Brixilli conſediſſe; ibique cum accepiſſet rem a ſuis infeliciter ad Bibriacum Cremonenſium oppidum geſtam, ne in hoſtium manus incideret, ſibi mortem conſciviſſe, ejuſque corpus, ut ipſe edixerat, MATURIUS FUNERATUM, ex quibus verbis ſatis evincitur eo in loco fuiſſe humatum; quod tamen Plutarchus in ejus vita præſtitit afferens ſe Othonis ſepulcrum Brixilli conſpexiſſe cum hoc titulo M. OTTO IMPERATOR. Dicendum ergo Suetonium aut hallucinatum, aut ejus exemplaria hoc loco corrupta.

(2) Quo autem anno funditus everſum fuerit, licet altum ſit apud Scriptores ſilentium; attamen quum Authari ab anno DLXXXIV. ad DXC. Longobardorum Regnum occupaverit; aliquo ex intermediis annis contigiſſe non eſt ambigendum. Hac in re audiendus eſt Paullus Diaconus, qui Longobardorum Regum ſeriem, atque hiſtoriam contexuit; & licet ſequioribus temporibus floruerit; quæcumque tamen de hiſce Regibus memoravit, ex Gregorio Turonenſe graviſſimo, atque coævo ſcriptore ſe excerpſiſſe teſtatur. Itaque quum Authari ſex regnaſſe annos, & ad initium uſque Septembris DXC. vitam egiſſe Paullus lib. 3. cap. 18. aſſeruerit, ejus electionem ad DLXXXIV. eſſe referendam quis non viderit? Et hinc lumen illis ſcriptoribus, qui Regni Authari initium in anno DLXXXVI. collocarunt.

Digitized by Google

operam, & maximum ſibi nomen comparaſſet, Caſtrum novum Tortonenſis Ditionis Oppidum cum omnibus juriſdictionibus, dempto ſalis vectigali, pro ſtipendiis ſibi debitis a Vicecomite tertium poſt annum reportavit. Poſt ſupremum Borſii diem a Galeatio Maria Sfortia tunc Duce Oppido ſibi vindicato, & in Robertum Sanſeverinatem celeberrimum illius ævi armorum Ductorem translato; Herculi Eſtenſi Ferrariæ, ac Mutinæ Duci Borſii fratri Brixilli cum aliquibus locis (1) æqua compenſatione jus, ac dominium tranſcribitur anno MCCCCLXXIX. Non paucas ſolicitudines, hoſtiumque incurſiones variis temporibus Brixillum perpeſſum eſt, & maximè eo bello, quod inter Julium III. Cæſari conſociatum, & Octavium Farneſium Parmæ Ducem exarſit anno MDLI. Rebus tandem inter belligerantes compoſitis, ac pace firmata, Hercules II. tunc Dux, ut ſuam ab eo latere ditionem tutiorem redderet, oppidumque minus hoſtium inſidiis obnoxium foret, arcem in eo condidit munitiſſimam, æreiſque tormentis, ac militaribus ſupellectilibus ad quoſvis caſus inſtruxit, atque ad perennandam rei memoriam in æreis nummis inſculpſit. Hoc quoque de Brixillo non prætereundum: graviſſimis rurſus ſub initium hujuſce ſæculi fuiſſe afflictum calamitatibus; acri enim inter Cæſarem, & Galliſpanos gliſcente bello, hi in Eſtenſium Ditionem VII. Kal. Sextilis MDCCII. hoſtiliter ingreſſi, Regio, ac Mutina occupatis, bellum ſub initium Septembris Brixillum Cæſarianorum militum munitum Præſidio delatum, miſſoque ad arcem petendam Caduceatore; quum ei reſponſum virtuti non proditioni locum eſſe, oppugnatio cœpta eſt. Non ſemel arx aggreſſionibus tentata; ſed pertinax Præſidii virtus nec periculis, nec laboribus uſquam parcens hoſtium conatus ſemper illuſit, & ad caſtra, negotio infecto, remeare coegit. Obſidione ad undecim menſes continuata; cum Cæſariani ex laboribus, ac vigiliis morbos contraxiſſent, & ad extremam cibariorum ventum eſſet anguſtiam, neque ulla auxilii ſpes affulgeret, ſpontanea deditione VII. Kal. Auguſti hoſtium arbitrio ſe crediderunt; & ſic Brixillum ad Galliſpanorum partes tranſiit, cujus arx anno poſtero ab ipſis funditus everſa eſt, quo in ſtatu adhuc perſeverat, ut vix ejus veſtigia appareant. Se-

(1) Quales fuerint Muratorius enumerat Tom. II. Antiquit. Eſten. pag. 23.

Digitized by Google

Secundus argenteus nummus quinquaginta grana in pondere non excedens oſtendit in antica Sanctum quemdam Epiſcopum, II.
ſiniſtra paſtoralem baculum, dextera ædificii typum ſuſtinentem, literis in gyrum poſitis S. GINESIVS BRIXILLI PO*ntifex*. In poſtica ſtat Aquila expanſis alis cum hac inſcriptione NOBILITAS ESTENSIS. Vulgata ſemper fuit, & conſtans apud incolas traditio (1) Sanctum Gineſium, ab ipſis uti Patronum veneratum, in Brixilli Cathedra conſediſſe; fatentur enim ab antiquioribus ſuis Patribus accepiſſe eo in loco anno circiter MCCL. capſam fuiſſe adinventam, in qua Sancti Epiſcopi oſſa continebantur, cum plumbea lamina hiſce verbis inſcripta CORPUS SANCTI GINESII EPISCOPI BRIXILLI. (2), quo tempore, cum crebris miraculis fulgere cœpiſſet, fuiſſe in ſuum Patronum cooptatum. Et hæc de Sancto Antiſtite populari tantum traditione ſervata, cum nulla habeantur hujuſce Sancti geſta ſcripto conſignata. Hoc tamen pro certo habendum Brixillenſes hujus ſacri Corporis inventionis memoriam prima Quadrageſimæ Dominica, & ejus feſtum diem VII. Kal. Septembris celebrare, plurimumque ejus fidere patrocinio, quod ſæpius, ut facta comprobarunt, experti ſunt. Summa ergo veneratione ſuum Sanctum colant Protectorem, ejuſque virtutes pia in ſe ipſis exprimant imitatione. Et hæc de hujus loci antiquitate, honorificentia, viciſſitudinibuſque ſatis. Ad Calarum progrediamur.

CA-

(1) Benedictus XIV. Summus Pontifex in ſuo aureo Opere *de Canonizatione Sanctorum*, aliique *de eorum Cultu* Scriptores celeberrimi validiſſimis argumentis nos edocent ſtandum eſſe Traditioni municipali non ſolum ſcriptæ, ſed etiam non ſcriptæ, modo perpetuæ, & incorruptæ; talis enim ſæpius traditionis, uti in noſtra contigit, ſubſtantia eſt, ut nonniſi temere poſſit in dubium revocari.

(2) Brixillenſem Eccleſiam fuiſſe priſcis temporibus Epiſcopali dignitate inſignitam clariſſimus Muratorius in ſuis Annalibus Italiæ memoriæ commendavit; ipſe enim ad annum DLXXXV. hæc habet = *Da lì innanzi Breſcello già Città Epiſcopale andò perdendo la ſua dignità &c.* = Quis ergo tanti viri, quo certe nemo accuratius hanc temporum, rerumque geſtarum ſeriem exploravit, auctoritati non acquieverit, ejuſque dicta apertis ulnis non exceperit? Id certò aſſerere minime auſiſſet, niſi prius ad examen factum revocaſſet.

Digitized by Google

CALARIS.

IN anteriori argentei nummi fronte viſitur Crux cum urbis
I. nomine in orbe exarato. In circulo poſticæ legitur PRIMA SEDES, & in ejus area inſculpta apparet litera L. initialis forſan nominis illius Archiepiſcopi, ſub quo nummus cuſus; Leonardi nempe, ut cenſeo, renunciati anno MCCXXXIX., cohereſcentibus cum eo tempore characteribus in nummo depictis. Qui Calarim antiquiſſimam Sardiniæ urbem a fundamentis erexerint, non eſt conſtans apud Hiſtoriographos ſententia; etenim Diodorus Siculus a Phocenſibus, Pauſanias verò a Carthaginenſibus fuiſſe conditam prodidere. Cæterum quomodocumque ſe habeat res, certum tamen eſt, omnium Inſulæ urbium eſſe nobiliſſimam, ibique Proreges ad jus dicendum ſedem fixiſſe. Sardiniam Romanis antiquitus, dein Gothis, poſtea Pontificibus, Saracenis inde, Piſanis, Januenſibus paruiſſe ex hiſtoriis abunde didicimus. Undecimo inde ineunte ſæculo ſuos Reges habere cœpit, inter quos Aragonenſes, quorum ultimus Ferdinandus fuit, cujus filia Joanna Hiſpaniarum, Indiarum, Sardiniæ, utriuſque Siciliæ &c. hæres Philippo Auſtriaco nuptui tradita, Carolum peperit in Imperatorem cooptatum anno MDXIX; ad quem omnia Regna, quæ matris fuerant, devoluta ſunt. Penes Auſtriacos Hiſpaniarum Regna ad Caroli II. obitum ſtetere, qui condito a ſe teſtamento diſpoſuit, ut Philippus Dux Andegavenſis Ludovici XIV. Galliarum Regis Nepos in ſuis juribus ſuccederet, maxima hercle Caroli Auſtriaci Leopoldi Imperatoris injuria, cui ſanguinis vinculo hæreditas obveniebat. Sardinia a Philippo anno MDCCXVII. arte occupata, hanc cum Regio titulo triennio poſt Victorio Amadeo Sabaudiæ tunc Duci conceſſit, ſub cujus Stirpe adhuc perſeverat.

CAMERINI.

IN primo æreo nummo perpendimus urbis ſtemma, literis in
I. gyrum poſitis VB. CAMERIN. *Urbs Camerina*. Averſa facies Cruce inſignitur affabrè elaborata, cum nomine Sancti Venantii urbis Protectoris principalis in margine exarato.

Secun-

Digitized by Google

BONONIÆ

BRIXELLI



CALARIS

CAMERINI





Digitized by Google

Digitized by Google

Secundum argenteum ſub Varanis fuiſſe cuſum verba in limbo anterioris partis inſcripta nos edocent; ibi enim nitidis chà- II.
racteribus legitur DE VARANO. In medio ſymbolum haud facile interpretandum. A tergo inſculpta apparet Sancti Venantii ſtantis imago dextera palmam, ſiniſtra urbis typum ſuſtinentis, cum ejus nomine in circuitu.

Æreus tertius oſtendit in antica Joannis Mariæ pileatum caput hiſce vocibus circumſeptum IO. MARIA VARANVS III.
CAMERINI. In poſtica inclytæ Varanæ Gentis Inſignia cum epigraphe DISTINGVE ET CONCORDABIS. Joannes Maria Julii Cæſaris filius a Leone X. anno MDXIII. Ducis titulo condecoratus, cum ad annum MDXXVII. Camertibus rebus præfuiſſet, fatis conceſſit, Julia unica filia Principatus hærede relicta.

In quarto æreo inſpicitur Paulli III. in Pontificem electi anno MDXXXIV. icon teſſeraria cum circumducta inſcriptione IV.
PAVLVS P. P. III. Viſitur a tergo Sancti Anſovini Camerini Epiſcopi, ac Compatroni imago elevata dextera ad benedicendum, ſiniſtra Paſtoralem virgam ſuſtinentis, cum lemmate S. ANSOVINVS. C. Julia poſt mortem patris a Clemente VII. in Principatu confirmata nuptias cum Guidubaldo Franciſci Mariæ Urbini Ducis filio anno MDXXXIV. celebravit. Verum cum Paullus III., qui Clementi ſucceſſerat, Camerini Ducatum poſt Joannis Mariæ obitum ad Eccleſiam fuiſſe devolutum Apoſtolicis Litteris pronuntiaſſet; in Guidubaldum anno MDXXXVIII. eduxit Copias, qui cum ſe imparem tantæ moli cerneret, honeſtis habitis conditionibus, poſtero Camerinum ceſſit, quo tempore a Pontifice nummus cuſus eſt. De Varana Familia fuſius hic ſcriberem, niſi in Diſſertatione edita MDCCLV. ejus geſta accuratè pinxiſſem. Hanc avidus Lector conſulat; & ſi uberiora cupiat, Lilium adeat, qui Camerini Hiſtoriam graphicè intexuit.

CASTRI.

IN aureo hoc nummo exhibetur Farneſiæ Gentis teſſerarium ſcutum hiſce vocibus circumſeptum PETRVS ALOYSIVS FAR. I.
DVX CASTRI. I. Poſtica præfert duo ligni fruſta in formam Crucis

Crucis diſpoſita, cum circumducta epigraphe LIGNVM NAVFRAGII EXPERS. Paullus III. Farneſius ad Pontificiam Cathedram evectus eodem anno Alexandrum ex Petro Aloyſio filio natum decimum quintum annum nondum attingentem in Cardinalium Collegium cooptavit: ipſi quoque Aloyſio Caſtrum cum Ducis titulo anno MDXXXVII. edixit; & poſtero a Carolo V. Novariæ Marchionatum ei impetravit. Hoc eodem anno Purpurati Fratrem Octavium nomine Margaritæ Caroli V. Imperatoris ex contubernio filiæ junxit, & ne puella e tanto viro nata Principatu careret, in Conciſtorio habito Nonis Novembris MDXL. Camerini Ducatum, & Nepetem Sponſo in Feudum aſſignavit. Aloyſio ergo imperante evulgatus nummus percutitur. Hæſit Caſtrum ſub Farneſiis ad annum MDCIII., quo iterum ad Eccleſiam rediit.

COMI.

UNicum damus Comi proditum argenteum nummum, in
I. cujus prima fronte inſpicitur Friderici II. Imperatoris imago dextera ſceptrum, ſiniſtra florem ſuſtinentis, verbis in gyrum poſitis FRIDERICVS IMPERT. In poſteriori Aquila expanſis alis cum circumducta inſcriptione CVMANVS.

CREMONÆ.

IN anteriori ærei primi pauculo argento mixti nummi facie inſculpta apparet Crux cum duobus punctis, & in orbe CRE-
I. MONA. In circulo adverſæ partis legitur FRIDERICVS., & in medio I. P. R. *Imperator*.

Secundus ex eodem metallo compactus nummus conſonat
II. in omnibus cum antecedenti, demptis punctis, quorum loco duæ ſtellulæ obſervantur.

Argenteus tertius exhibet pariter Crucem urbis nomine cir-
III. cumſeptam, & reliqua uti in primo. Tres hoſce nummos Friderici Ænobarbi temporibus cuſos facio, cui cum in ſubigenda Derthona fortem operam Cremonenſes præſtitiſſent, facultatem cudendi monetas ab eo in præmium virtutis reportarunt anno MCLV.

In

Digitized by Google

In quarto argenteo eminet Sancti Episcopi in cathedra sedentis imago elata dextera ad benedicendum, sinistra pedum sustinentis, literis in gyrum positis S. HIMERIVS. Postica præfert IV. Crucem, et urbis nomen. Himerius in Brutiis honestis parentibus ortus, in primo juventutis flore sæcularibus abjectis curis in eremum secessit; dein, ut melius Deo inserviret, Monachali militiæ in Monasterio se dedit, ibique cum per multos annos in jejuniis, et orationtbus vitam transegisset, et ejus sanctitatis fama penes finitimos Populos percrebuisset; ab Amerinis suo orbatis Pastore in Episcopum, licet reluctans, electus est. Eo in munere a Pontifice confirmatus de Grege sibi concredito sollicitus doctrina, atque exemplo ad instruendos in Fide cives, et debiles, relapsosque confirmandos magno pietatis zelo totum se dedit: cumque per plures annos in constituenda Ecclesiæ disciplina, inopia pauperum sublevanda, aliisque pietatis officiis elaborasset, tandem meritis plenus XV. Kal. Julii (1) evolavit in Cælum. Anno verò DCCCCLXV. Luitprandus Cremonæ Episcopus Roma redux, cum sacrum hoc corpus ab Amerino tunc Præsule in donum reportasset, et ad suam sedem deluliset, in Cathedrali Ecclesia fuit collocatum, ibique in marmorea inclusum capsa ad ævum hoc nostrum conquiescit, et a Civibus uti Compatronus summa veneratione colitur.

FANI FORTUNÆ.

UNicum tantum exhibemus nummum a Pandulpho Malatesta Fani Toparcha obsignatum. Æreus est, ostenditque in prima fronte Sancti Paterniani urbis Episcopi, ac Patroni protomen, verbis in gyrum positis S. PATERNIANVS. In circulo adversæ partis legitur PANDVLFus Dominus FANI. In area vero insculpta apparet virilis imago, quam Virgilii cele-

(1) Id unum tantum de hoc Sancto habemus certum, & exploratum, quod ex Martyrologio Romano delibavimus. Qui fuerit porro Himerii natalis annus, quo tempore Episcopali dignitate insignitus, & in quo beata ejus mors inciderit, ignoramus, & veteres ignorarunt Scriptores: neque attendenda quæ de hoc Sancto Præsule Jacobillus asserere ausus est, cum merito nullius momenti, ac falsa a Bollandianis adjudicentur.

Digitized by Google

berrimi Poetæ Mantuani esse reor. Est hæc laurea corona redimita ore ad instar cantantis aperto, uti ea tempestate a Mantuano populo in suis monetis exprimebatur. Conjicere ergo possumus Pandulphum in hocce nummo Virgilium pinxisse ad redimendam injuriam a Carolo ejus fratre Arimini Regulo tanto Vati inlatam. Is enim a Francisco Mantuæ Vicario Joannis Francisci filii Tutor testamento designatus cum Poeticam artem calleret, et se Virgilium æquare non posse animadverteret; tanta fuit livoris vi, amissa ratione, commotus, ut ad evomendum factiosæ mentis virus, marmoreum Poetæ simulacrum a Civibus summo cultu veneratum in lacum projecerit (1): execrandum sanè facinus, non modo Principe indignum, sed ne irato hosti congruens; unde maximum dedecus, atque infamiam penes incolas, literarumque cultores reportavit.

FERRARIÆ.

VEnio ad Ferrarienses nummos, quos aliis in Libris evulgavi; verum cum VII. in ipsis desiderati mihi obvenerint, hosce quoque non omittendos æquum duxi, ut quicumque ejusmodi cognitionis amore ducitur, uberiorem, atque completiorem ipsorum seriem habere possit. Horum ergo argenteus primus sub
I. Hercule I., qui Borsio fratri in principatu successit anno MCCCCLXXI., obsignatus repræsentat in anteriori fronte Ducis caput cum circumducta epigraphe HERCVLES DVX FERRARIE II. In posteriori virilem figuram equo insidentem absque ulla inscriptione. Hercules cum per biennium grave, & sibi obnoxium bellum cum Venetis sustuliſſet, ut se contra hostium insidias, subitariasque incursiones magis magisque in posterum vindicaret, Ferrariam trium millium ambitu amplificatam novis lapideis muris communivit, nonnullis ibi tam Civium usui, quam divino cultui extructis ædificiis, inter quæ duo Monialium Monasteria commemorare licet, Sanctæ Catharinæ Senensis, et illarum a Mortaria, prædiis pro decenti earum alimonia assignatis.

Argenteus secundus spectat ad Alphonsum ex Hercule II., & Re-

(1) Consule Equicolam, & Agnellium rerum Mantuanarum Scriptores.

Digitized by Google

CASTRI



COMI

CREMONÆ

FANI FORTVNÆ



FERRARIÆ

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

& Renata Ludovici XII. Gallorum Regis filia procreatum. Exhibet hic ejuſdem Principis effigiem hiſce vocibus circumvallatam ALFON. II. FER. MVT. REG. E. C. DVX. *Alphonſus Secundus Ferrariæ, Mutinæ, Regii, & cetera Dux*. A tergo inſpicitur Spei clavæ innixæ imago, cum lemmate in circuitu ADDIT SE SOCIAM., in exergo deſignatur tempus, quo nummus cuſus, anno ſcilicet 1596. Fuit Alphonſus in juventutis flore armis ſummopere addictus, & maximum ſibi nomen in Galliis comparavit. Dux factus ad ſtudia pacis ſe convertit, & quoad vixit in ſuis Ditionibus ſumma pax, & otium fuit. Tres, unam poſt aliam, duxit uxores, Lucretiam nempe Coſmi Ducis Etruriæ filiam, Barbaram Auſtriacam Ferdinandi Imperatoris ſororem, & Margaretham ex Guilelmo Mantuano Duce natam, ex quibus cum nullos liberos ſuſtuliſſet, poſt ejus mortem, quæ contigit VII. Kal. Novembris anno MDXCVII., Ferrarienſis Ducatus ad Eccleſiam devolutus eſt. II.

Ferraria poſt obitum Alphonſi a Clemente VIII. recuperata, qui in ea deinceps nummi cuſi, Pontificum nominibus conſcripti ſunt. In argenteo tertio illud legitur Paulli V. Burgheſii (1), ad Pontificatus apicem evecti XVII. Kal. Junii MDCV. III.

(1) Inter cæteros, qui ex inclyta Burgheſiorum familia prodiere, merito recenſendus Scipio ex Camillo, & Agnete Columna vetuſtæ nobilitatis Matrona Kal. Aprilis MDCCXXXIV. natus, qui Eccleſiaſticæ Diſciplinæ addictus, Prothonotarius primum Apoſtolicus ex participantibus renuntiatus, mox Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis deſignatus, poſtremo a Clemente XIII. ad Pontificii Cubiculi Præfecturam evectus eſt. Sublato e vivis Pontifice, Clemens XIV. illi in Regno ſucceſſor cum Burgheſii, eo in munere confirmati, merita, & res pro Eccleſia integra ſemper fide, circumſpectaque prudentia geſtas perpendiſſet, eum IV. Idus Septembris MDCCLXX. Presbyterum Cardinalem cum titulo Sanctæ Mariæ ſupra Minervam declaravit, & anno MDCCLXXII. Legati de latere honore condecoratum Ferrariam miſit, quò cum perveniſſet III. Idus Junii hora XXIII. ad res noſtras adminiſtrandas maximo ardore animum adjecit. Calamitoſus ſatis, ac luctuoſæ recordationis is annus fuit; etenim ob frequentes pluvias, quæ per duos ferme menſes, Martium nempe, & Aprilem, perdurarunt, tanta aquarum illuvies Ferrarienſes campos invaſit, ut viis, itineribuſque confuſis, in maria tranſiiſſe

Ejus poſtica exhibet Sancti Georgii urbis Protectoris principalis imaginem currenti equo inſidentis, & lancea draconem tranſverberantis, additis in gyrum literis S. GEORGIVS FERRARIÆ PROTECTOR; inferius 1619. Paullus magni animi Pontifex, ut Ferrarienſis Populi ſecuritati conſuleret, Arcem quinque propugnaculis munitam ingenti ſumptu a fundamentis excitavit, abſolvitque, & maximo tormentorum æneorum apparatu, & copioſiſſimo armamentario inſtruxit.

Eaſdem imagines, atque inſcriptiones intueor pariter in duo-
IV. bus ſubſequentibus, a diverſa tamen matrice proditis; neque
V. ab antecedenti diſſident, niſi in characterum diſpoſitione, atque anno, quo fuerunt obſignati, nempe 1620.

In ſexto argenteo inſpicitur Innocentii X. icon teſſeraria
VI. in Pontificem electi XVII. Kal. Octobris MDCXLIV. Epigraphen præfert INNOCENTIVS X. PONT. MAX. A tergo exhibetur Sancti Protectoris protome, cum literis in limbo S. GEORGIVS FERRARIÆ PROTEC. 1654.

Æreus poſtremus argento mixtus vulgi ſermone *Muragliola*
VII. nuncupatus oſtendit Clementis XI. effigiem, qui fuit Pontifex inauguratus IX. Kal. Decembris MDCC. In oppoſita parte eminet Sancti Georgii ſtantis imago, cum circumducta epigraphe S. GEORGIVS PROT. FERRÆ. 1716. Maximas ſub hoc Pontifice calamitates anno natali meo MDCCVIII. Ferrarienſes ab Cæſareis armis perpeſſi ſunt; depopulatis enim agris, Co-

---

iſſe viderentur. Ipſa quoque Flumina, Argentanus ſcilicet Padus, Tartarus, & Panarus, auctis præter modum eorum aquis, e ſuis alveis, fractis aggeribus egreſſi, circumvicina loca longe, lateque demerſere. Huic inundationis cladi damnoſa ex aeris ardore, & imbrium penuria acceſſit ſiccitas: quæ mala cum in circumvicinis quoque Ditionibus viguiſſent; gravis inde frumenti, ac tritici flavi caritas, ut nemo ex noſtris ſæviorem meminiſſet, ſubſecuta eſt. Ceterum Ferrarienſes maximopere recreavit Legati vigilantia, qui tantam granorum copiam ex agro Piceno comparavit, ut alimento populi ad totum Julium ſubſequentis anni abunde ſatisfecerit. Eſt inſuper Burgheſius publicæ felicitatis zelo, in ubertate rerum omnium procuranda animo ſemper anxius, atque ad obeundas optimi Principis partes intentus. Utinam optimus Purpuratus, qui ſingulari ſupremi Numinis providentia fuit ad res noſtras moderandas conſtitutus, diutiſſime penes nos ſoſpes, & incolumis perſeveret.

Digitized by Google

Comaclo occupato, Oſtellato direpto, incenſoque, & Bondino non ſine ſanguine in poteſtatem redacto, ad circumvallandam urbem pridie Nonas Novembris ſe contulerunt, tantaque cura obſidio (1) per duos & amplius menſes ab hoſte continuata, ut neminem aut exire, aut ingredi pateretur. Sub exitum Decembris tellus quotidiana fermè nive incanuit, & aquæ Padi vi frigoris adeo gelu concretæ, ut currus onuſti, prout in viis ſtratis, tuto diſcurrerent: nec defuere qui ſuper flumen choreis indulſerint.

FIRMI.

CUm ab Honorio III. Summo Pontifice Firmanus Populus jus Zecchæ reportaſſet anno MCCXX, ſuos nummos cœpit obſignare, inter quos æreus hic recenſendus, in cujus prima facie inſculpta apparet Crux cum circumducta inſcriptione DE FIRMO. In averſa legitur SANCTVS SAVINVS, quatuor poſtremis literis in area in formam crucis diſpoſitis.

GENUÆ.

IN area primi ſummæ raritatis aurei nummi exhibetur urbis Stemma, et in circuli ſummitate exigua Crux literis hinc inde diſpoſitis S. B. *Simeon Buccanigra*, ſubſequentibus vocibus IANVA QVAM DEVS *Pro*TEGAT. Poſtica oſtendit Crucem lemmate circumſeptam CONRADVS REX ROMANORVM. Cum de novi Abbatis, ſeu Tribuni Plebis electione anno MCCCXXXIX. in publica Æde ageretur, et populi multitudo in Forum conveniſſet, extollens vocem quidam inſulſus, eligatur, inquit, Simeon Buccanigra; de repente uno ore Abbas ſalutatus eſt. Verum Buccanigra electioni ſuæ, quantum poterat, reſiſtente, et turba magis invaleſcente, et clamante, non Abbas, ſed Dominus, et Dux noſter ſit; Dux Genuenſium primus renun- I.

(1) Plura de hac obſidione ſcire cupiens, adeat librum a me editum anno MDCCLXI., cui titulus = *Delle Monete di Ferrara Trattato &c.* = in quo de paſſis calamitatibus, deque velitationibus inter partes geſtis ego primus diſſerui.

Digitized by Google

nuntiatus est, frementibus urbis Primatibus, quorum duo eodem anno in novum Principem conspirantes capite plexi, et alii exilio mulctati sunt. Eo in munere Simeon constitutus, in publicis gerendis rebus enixe se dedit, et Arces Reipublicæ, si Monacum excipias, ab hostibus occupatas ad pristinum imperium restituit. Ad annum usque MCCCXLIV. sceptrum tenuit, quo ab Optimatibus patria expulsis, armis, insidiisque petitus; ut suæ saluti consuleret, dignitate abdicata, Pisas cum tota familia, et gazis se contulit. Illi successor datus Joannes de Murtha, et hunc quintum post annum functum Joannes Valens excepit, sub cujus imperio Veneti Aragonensibus consociati anno MCCCLIII. cum septuaginta triremibus in Genuenses profecti, acriter ad Sardiniam IV. Kal. Septembris dimicatum est. Ancipite quidem pugnæ initio Marte, tandem apud Venetos victoria fuit: ad duo Genuensium millia desiderati, tria millia, et quingenti circiter, inter quos quamplures magni nominis capti, triginta triremes in victorum potestatem devenêre. Fatali hac pugna deterriti cives, ne in pejus res suæ laberentur, se se, suamque urbem Joanni Vicecomiti Mediolani Archiepiscopo, ac Domino, nonnullis pactis conditionibus submisere, et eo anno proximo fatis rapto, ad Matthæum, Galeatium, et Bernabovem nepotes urbis jura translata. Cæterum Genuenses biennio post XVIII. Kal. Novembris tumultu excitato in Guilelmum Pallavicinum, qui summa cum auctoritate pro Vicecomitibus urbanis rebus præerat, et præsidiarios milites insurgunt, quibus expulsis, Buccanigra sequenti die Populi studio in pristinam dignitatem restitutus est. Verum is cum tyrannico modo urbem regere cœpisset, et se invisum Optimatibus, popularibusque reddidisset, anno MCCCLXIII. veneno sublatus est, et ejus corpus absque funeris pompa ad S. Franciscum humatum.

Habet secundus aureus nummus urbis insigne, cui super-
II. minet anguis puerulum vorans, Vicecomitum icon tesseraria, cum hac inscriptione F. M. DVX MEDIOLANI D. IA. *Philippus Maria Dux Mediolani Dominus Januæ.* In altera parte eminet Crux cum circumducta epigraphe CONRADVS REX. ROMAN*orum*.

Ejusdem Philippi nomen legitur in limbo argentei tertii,

in

in cujus area ſtat urbis teſſera ſiglis hinc inde diſpoſitis F. M. III.
Philippus Maria. A tergo inſculpta apparet Crux, cum lemmate ut ſupra.

Argenteus quartus ſub eodem Philippo cuſus exhibet ex una parte urbis, et Vicecomitum Inſignia, cum circumducta e- IV.
pigraphe, ut in antecedenti: ex altera Crucem cum ſolita inſcriptione. Philippus Maria poſt necem Fratris in toto Mediolanenſi Ducatu confirmatus, profligatis Tyrannis, qui nonnullas Ditionis urbes occupaverant, ad recuperandam Genuam a fide deſcitam, animum adjecit. Anno ergo MCCCCXXI. miſſo ad eam oppugnandam Carmagnola, cujus virtus pluribus claruerat pugnis, ac ſeptem Catalanis triremibus ad maritimos hoſtium conatus retundendos mercede conductis, urbs terra, marique obſeſſa eſt. In tantis rerum anguſtiis Thomas Fregoſius tunc Dux, cum ſe ob inopiam pecuniæ imparem tantæ moli cerneret; Liburno populi conſenſu centum Florenorum aureorum millium pretio Kal. Quinctilis Florentinis venundato, neceſſariiſque ad bellum ſuſtinendum comparatis, extrema experiri ſtatuit. Tracta inde per aliquot dies variis utrinque conatibus oppugnatione; Baptiſta Ducis fratre cum ſeptem triremibus in hoſtium claſſem irrumpente, per plures horas aſpera fuit dimicatio. Profligatis tandem Genuenſibus, et clade Baptiſtæ inſuper captivitate onerata, animo defecerunt Cives, et de facienda deditione, ſi tolerabiles ferentur conditiones, cogitarunt: quibus impetratis, Vicecomiti colla ſubmiſere. Ad annum uſque MCCCCXXXV. in ejus fide ſteterunt, quo tempore Ligures navali prælio devicto, captoque Alphonſo Siciliæ Rege, qui pro Neapolitano Regno cum Renato Andegavenſi decertabat, Genuam, inde Mediolanum traduxerunt, qui quum ſumma benignitate, honorificentiaque a Philippo fuiſſet acceptus, et quintum poſt menſem honoribus cumulatus, pecuniiſque ad renovandum cum hoſte bellum adjutus, Genuenſibus inſciis, dimiſſus; adeo eorum animos exacerbavit, ut ad priſtinam, qua erga Vicecomites, ferociam, redierint. Sumptis itaque armis, enecatoque Opicino Alciato, cui urbis regimen fuerat demandatum; in libertatem, quam ſemper optaverant, ſe vindicarunt. Philippo ergo moderante nummi percuſſi.

In quinto aureo viſitur urbis ſchema, verbis in orbe exaratis

V. ratis R. A. DVX IANVEN XXII. A; nempe *Raphael Adurnus Dux Januenſium vigeſimus ſecundus*. In averſa Crux expreſſa eſt hiſce vocibus circumſepta CONRADVS REX ROMANOR*um*. Genuenſes, ut ſuperius innuimus, reaſſumpta libertate anno MCCCCXXXV., poſtero Iſnardum Guarcum in Ducem aſciverunt, et eo poſt ſeptimum principatus diem ob nimium ſenium a Patribus exauctorato, in ejus locum Thomas Fregoſius ſufficitur. Huic ſucceſſor datus anno MCCCCXLIII. Raphael Adurnus, qui cum ad MCCCCXLVII. ſumma cum laude patrias res adminiſtraſſet, a ſuis emulis doloſis verbis circumventus pridie Nonas Januarii dignitate ſponte ſe abdicavit.

VI. Argenteus ſextus perhibet urbis Stemma, ad cujus latera binæ ſtellæ conſpiciuntur, et in circuli ſummitate ſtat ſerpens Vicecomitum icon gentilitia, ſubſequentibus verbis IO. Gʒ. M. SF. DVX M. VI. AC IANVE D. *Joannes Galeatius Maria Sforzia Dux Mediolani ſextus, ac Januæ Dominus*. Poſtica præfert Crucem cum quatuor ſtellis in ejus angulis diſpoſitis, et inſcriptionem ut in antecedenti. Poſt Raphaelem Barnabas Adurnus ad Ducale ſolium evehitur; ſed perbrevis ejus principatus fuit; etenim III. Kal. Februarias Janus Fregoſius libidine dominandi accenſus ſub noctis ſilentio cum XC. ſelectis viris Genuam ingreſſus, eo expulſo, a Populo Dux acclamatus eſt. Jano Decembri menſe anni inſequentis e vivis rapto, Ludovicus ejus frater imperium ſuſcepit, et hoc Julio menſe MCCCCL. deturbato, Petrus Fregoſus VI. Idus Decembris Dux renuntiatur. Petro moderante, nova ad perturbandam Rempublicam tempeſtas exorta; Genuenſes enim anno MCCCCLVII. ab Alphonſi Neapolis Regis armis fatigati, ut ſe ab ejus ira eximerent poſtero Carolo VII. Francorum Regi urbem, arceſque ampliоribus conditionibus ceſſere. Carolo anno MCCCCLXI. functo, ſuffectus ei fuit Ludovicus XI. major natu filius, qui cum Ligures in fide detinere poſſe diffideret, ſuum in Franciſcum Sfortiam Inſubriæ Ducem jus tranſtulit. Primatum is opportunitate animis inter ſe diſſidentium uſus, bellum, quod jam diu animo coquebat, eis intulit, totaque Ditione haud magno negotio potitus eſt. Poſt Franciſcum, biennio poſt morte abſumptum, Galeatius Maria filius tenuit dominatum, qui decimo principatus anno a Conjuratis cæſus ſucceſſorem habuit Joannem Galeatium

Digitized by Google

FERRARIÆ

FIRMI

GENVÆ





LAVANIÆ COMITUM

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

tium filium, ſub cujus imperio nummus ſignatus eſt.

LAVANIÆ.

BIni tantum ab antiquiſſima, præſtantiſſimaque Fliſcorum familia Lavaniæ percuſſi nummi mihi ſe ſe offerunt publicandi, quorum primus argenteus repræſentat in anteriori parte aquilam I. expanſis alis, addita in limbo epigraphe LVD. 3. P. LVCAS FLISC. LAVA. CO. M. D., nempe *Ludovicus & Petrus Fliſci Lavaniæ Comites Meſſerani Domini*. In poſteriori Sanctum Theoneſtum Oppidi Patronum equo inſidentem, vexillum dextera ſuſtinentem, cum hac inſcriptione SANTVS TEONESTVS. MAR*tir*.

Secundus ex eodem metallo compactus nummus oſtendit in circuli ſummitate aquilam, & in area Crucem affabrè elabo- II. ratam, cum hiſce vocibus in margine exaratis LVDOVIC. FLISC. M. 3. C. DO. *Ludovicus Fliſcus Meſſerani & cetera Dominus*. In poſtica inſculptus apparet Sanctus Theoneſtus in cathedra ſedens, elevata dextera in actu benedicendi, ſiniſtra martyrii palmam ſuſtinens, cum ejus nomine in circuitu.

LUCÆ.

IN antica ærei primi argento mixti nummi parte eminet Chriſti imago, cum epigraphe SANTVS VVLTVS. In averſa medium te- I. net litera L. urbis nominis initialis cum roſa ad latus, & per gyrum OTTO IMPERATOR. Othonem in nummo enuntiatum IV. fore autumo, a quo Lucenſis Populus quamplurimis gratiis, ac privilegiis condecoratus.

Eadem Salvatoris effigie ornatur ſecundus argenteus, in cujus poſticæ area legitur urbis nomen LVCA ſemigothicis con- II. ſcriptum characteribus, verbis in orbe poſitis CAROLVS IMPERATOR. Cum per plures annos Lucenſis Populus ſub Piſanorum jugo ingemuiſſet, & a Carolo IV. Imperatore fuiſſet in libertatem aſſertus, anno MCCCCLXVIII. ad tantæ beneficentiæ memoriam perennandam, liberatoris ſui nomen in monetis inſcribere cœpit, & hoc in hodiernum uſque diem continuatum perſpicimus.

Digitized by Google

Bini ſubſequentes ex diverſa matrice proditi aurei ſunt,
III. oſtenduntque in anterioribus frontibus Chriſti vultum hiſce vo-
IV. cibus circumſeptum SANCTVS VVLTVS DE LVCA. In poſterioribus urbis teſſeram cum lemmate CAROLVS IMPERATOR.

In argenteo quinto inſculptus apparet Sanctus Petrus cum
V. ejus nomine in circuitu. A tergo viſitur Stemma; neque ibi deeſt CAROLVS IMPERATOR.

Aureus poſtremus perhibet in una parte Vultum ſanctum,
VI. in altera urbis Inſigne literis circumſcriptis CAROLVS IMPERATOR. Indicatur quoque tempus, quo fuit nummus obſignatus, anno ſcilicet MDLIX. Venerabili hacce Crucifixi Salvatoris imagine cedrino ligno a S. Nicodemo (1), ut fertur, elaborata placuit Deo non ſine miraculo Lucenſem urbem condecorare anno DCCLXXXIII., cujus facti memoriam, etſi a nonnullis eruditis viris inter fabuloſas recenſeatur, placuit nobis, uti ex ejuſdem urbis hiſtoriis delibavimus, in pauca congerere. Gualfredus Pedemontanus Epiſcopus quum Hieroſolymam, ſacra illa redemptionis noſtræ loca inviſurus, ac præſens adoraturus, anno DCCLXXXII. adnavigaſſet; in quiete ab Angelo admonitus, quo in loco ſancta hæc deliteſceret imago, illuc uſque proceſſit, eamque ab ejus cuſtode de cœleſti nutu certiore prius facto facile impetravit. Pretioſum hoc pignus ad mare noctu delatum, atque in navem abſque remis, et velis collocatum; divinitus Lunenſem Portum (2) appulit: quo tempore Beatus Joannes Lucæ Præſul cognita Angeli miniſterio ſupre-

(1) Is eſt Nicodemus ille inter Judæos facile princeps, qui cum aliquando ad Jeſum acceſſiſſet; ab eo in Fidei myſteriis edoctus, Chriſtianam cœpit colere Religionem. Poſt Chriſti paſſionem publico Sinagogæ decreto Hieroſolyma expulſus, in ruſticam Gamalielis domum ſeſe recepit, a quo altus, quicquid orationibus tempus ſupererat, ſculpturæ, quam antea voluptatis illecebra coluerat, operam dabat. Meritis tandem plenus obdormivit in Domino, ejuſque Corpus juxta Protomartyrem Stephanum a Gamaliele tumulatum.

(2) Lunenſis Portus a Luna olim urbe nomen traxit. Hic ad Macram fluvium ſitus plurimarum navium capax, & ad accipiendas, evehendaſque merces commodiſſimus, ævo hoc noſtro Portus Ericis nuncupatur.

Digitized by Google

ſupremi Numinis voluntate, cum Clero, ac Populo Lunam (1) acceſſit; eductoque, non ſine incolarum contentione, e navi ſanctiſſimo Crucifixo, quem Vultum Sanctum Lucenſes appellant, in patriam cum hymnis, et canticis detulerunt, atque in Cathedrali S. Martino tunc ſacra collocarunt, ibique in ſacello Reipublicæ impenſis magnificentiſſimè conſtructo eximia colitur religione.

MACERATÆ.

FLagitat jam ordo, ut poſt evulgatos Lucenſes nummos, de Maceratenſibus verba faciamus, quorum unus tantum nobis occurrit evulgandus. Eſt hic argenteus, oſtenditque in circuli ſummitate Molam ex vetuſta Patrum inſtitutione urbis Inſigne, ſubſequentibus vocibus DE MACERATA, ultima litera in medio collocata. A tergo in ſuperiore marginis parte binæ claves in decuſſim trajectæ conſpiciuntur, cum inſcriptione S. IVLIANVS, quatuor poſtremis literis in area in formam Crucis diſpoſitis. Ex ruinis Helviæ Recinæ (2) antiquiſſimæ Piceni urbis ſub quinti Sæculi initium in amœno colle excitatur Macerata (3).

(1) Luna perantiqua Hetruriæ Urbs, & inter duodecim primarias a veteribus Scriptoribus recenſita: quanta ejus olim fuerit magnificentia; mœnia, aliaque nobilium ædificiorum rudera per agros ſparſa teſtantur. Noſtra tamen ætate exigui potius vici formam habet, pauciſſimæque tantum Piſcatorum caſæ numerantur. Ob Lunæ interitum excitari, feliciterque cœpit creſcere Sarzana Nicolai V. Summi Pontificis ortu celebris, qui ſuorum votis, precibuſque indulgens facile Lunenſem Epiſcopalem Sedem ad hanc Urbem tranſtulit.

(2) Recina ad Potentiam flumen ſita, ab Helvio Pertinace Imperatore refecta, coloniſque inſtaurata, Helviæ cognomen accepit, & ſub Romanorum ſtetit imperio ad Alarici Gothorum Regis in Italiam adventum, a quo occupata, atque diruta, Cives in circumvicina loca demigrantes Maceratam, atque Recinetum condiderunt. Deletæ Recinæ ad hæc uſque tempora quamplurimorum ædificiorum apparent rudera, inter quæ Theatrum ad ripam fluminis propemode integrum a me viſum.

(3) De origine, & fatis Maceratæ videndus Pompejus Compagnonus, qui erudite Urbis hiſtoriam contexuit in ſuo libro italico ſermone exarato cum titulo ⁓ *La Reggia Picena* ⁓ typis edito Maceratæ anno MDCLXI.

Digitized by Google

Hæc itaque incolis, atque ædificiis aucta ſub Longobardorum ſtetit imperio ad Pipini Francorum Regis uſque tempora, qui devicto Aiſtulpho eorum Rege, Pentapolim (hodie Marchiam), quam Longobardus occupaverat, una cum Exarcatu ſpontanea voluntate per donationis tabulas Stephano III. tunc Summo Pontifici, et ejus Succeſſoribus in perpetuum poſſidendam conceſſit (1) anno DCCLV., quo tempore Macerata, et ceteræ illius Provinciæ Urbes ſub Eccleſiæ imperio eſſe cœpere. Anno verò DCCCLXXXVI. Arnulphus Germaniæ Rex in Italiam ingreſſus, armorum vi Roma capta, atque fœdè depopulata, in Picenum infeſto agmine penetravit, et nonnullas illius Regionis urbes, inter quas Maceratam, incendio deformavit. Poſt hæc Marchia in Guarneriorum poteſtate fuit, iiſque paruit, donec Fridericus Ænobarbus eam occupaverit, quam cum Henricus filius in Imperio ſucceſſor Marcualdo ejus dapifero Marchionis titulo regendam tradidiſſet; Innocentius III., pulſo Tyranno, Azzoni Eſtenſi anno MCCVIII. in Feudum aſſignavit. Cæterum non multos poſt annos Fridericus II. Imperator graviter in Eccleſiam inſæviens cum Marchiam ſibi vindicaſſet, et Petrus Cardinalis Capoccius armorum vi ad obſequium Pontificis redegiſſet, Maceratæ ſedem fixit (2), et urbem, antiquis firmatis privilegiis, novis gratiis locupletavit; quod et Pontifices ſucceſſu temporis præſtitere; etenim Nicolaus IL celebri bonarum artium, ſcientiarumque Gymnaſio anno MCCXC. condecoravit, et Joannes XXII., Recanatenſibus, qui ab Eccleſiæ fide deſciverant, et in urbis Rectorem, et ejus fautores graviter inſævierant, Epiſcopali ſede MCCCXX. exauctoratis, Maceratam tranſtulit. Ad annum uſque MCCCLXXVI. in Pontificiis devotione Maceratenſes ſtetere, quo libertatis cupidine

ad

(1) Hanc Pipini donationem non ſolum ratam habuit Carolus Magnus ejus filius anno DCCLXXIII.; ſed etiam novarum Terrarum, & Principatuum additione adauxit, ut videre eſt apud Sigonium *de Regno Italiæ* lib. 3.; & quæ a Pipino, & Carolo Eccleſiæ elargita, a Ludovico Pio ex Carolo nato fuerunt inde confirmata anno DCCCXIII.

(2) Hacce in urbe Marchiæ Rectores prædeceſſores cum eorum curia reſidere conſueverunt; atque pro certo habendum, Pontificios numpos MARCHIÆ nomine conſcriptos ex Maceratæ Zecca prodiiſſe.

Digitized by Google

ad circumvicinarum Civitatum exemplum incenſi ; Rodulphi Varani Camerini Reguli, ſagacis ingenii viri, et in bellicis rebus ſummopere edocti, auxiliis ſuffulti in Petrum Epiſcopum Conchenſem Marchiæ Rectorem ibi conſidentem inſurrexerunt, et eo exturbato, urbem regendam ſub honeſtis conditionibus Varanis (1) commiſerunt. Cæterum cum hi a recto rationis, pactorumque tramite declinaſſent, et ad arbitrium res gererent; Cives ſtatum Urbis in ſummo diſcrimine verſari, et ad imum vergere animadvertentes, ad priſtinum Dominum redire decrevere. Itaque novennio poſt re cum Maceratenſi Epiſcopo compoſita; ipſe cum multo milite, ſub noctis ſilentium urbem ingreſſus Varanorum Præſidium eo inopinato adventu exterritum ad fugam capiendam compulit, et ſic Maceratenſes in Pontificum iterum ditionem, veluti ad jucundam quietem, devenere: quorum fidelitatem perſpiciens Bonifacius IX. publica eorum onera refecavit, et jus Zecchæ anno MCCCLXXXXII. impartitus eſt; quo tempore nummus, ut ex characteribus in eo depictis evincitur, obſignatus eſt.

MANTUÆ.

JOanni Epiſcopo Mantuano, et ejus Succeſſoribus facultatem ſignandi monetas ab Othone III. Imperatore fuiſſe traditum anno DCCCCXCVII. Diplomate a clariſſimo Muratorio evulgato (2) erudimur. Et ſane in antiquioribus Mantuanis nummis hæ literæ EPS. *Epiſcopus* exaratæ perpenduntur, ut manifeſte evincitur ex illo a nobis prodito ſub num. I. in Diſſert. typis edita MDCCLXVII. Utque uberius, ac illuſtrius adhuc res confirmetur, alterum quoque ex puro argento conflatum nunc dabimus, ſcyphi formam referentem, in cujus anterioris partis I. circulo nitidis characteribus legitur EPISCOP*us*, et in medio hæ

(1) Qui ex Varana gente Maceratæ præfuere, Rodulphus primum fuit, poſtea Joannes, inde Gentilis, dein Rodulphus alter ejuſdem Gentilis filius, ſub quo Maceratenſium defectio.

(2) Tom. II. Antiq. Medii Ævi Diſſert. 27. Et licet Diploma adulterinum a Carli-Rubbio reputetur; genuinum tamen fore facta comprobant.

Digitized by Google

hæ ſiglæ conſpiciuntur VI. Virgilii celeberrimi Mantuani Poetæ nomen indicantes. Poſticæ area ornatur Cruce, circa quam hoc verbum MANTVA.

In ſecundo argenteo nummo inſculptus apparet Sol hiſce
II. vocibus circumſeptus LV*dovicus* MARCHIO MANTVE. A tergo eminet ſacra Pixis cum lemmate SANGVINIS CHRISTI. Ludovicus, de quo alibi (1) egimus, Joanni Franciſco patri in imperio ſucceſſit anno MCCCCXLIV., et poſt quatuor et quadraginta Principatus annos vivere deſiit.

Tertius argenteus nummus oſtendit ex uno latere Franciſci
III. effigiem barba obumbratum (2) cum circumducta epigraphe FRANCISCVS M*a*R*chio* MANTVE IIII. Ex altero fuſorium vaſculum, quo utuntur Aurifices, flammis circumſeptum; cum virgarum faſciculo ex eo prodeunte, verbis in gyrum poſitis DO*mine* PROBASTI ME ET COGNO*viſti* ME.

Quartus æreus nummulus cum illo ſane in omnibus cohæreſcit, quem dedimus in Diſſert. edita MDCCLV. ſub num.
IV. XIII. Verùm cum a diverſa matrice ſit proditus, hunc minime prætereundum fore duximus. Demonſtrat hic in anteriori facie inclytæ Gonziacæ Gentis ſcutum, cum Principis nomine in circuitu: in poſteriori binas manus junctas, et inſcriptionem IN ÆTERNVM. Friderico Marchione Idibus Julii MCCCCLXXXIV. ex rebus humanis ſublato, Joannes Franciſcus filius undeviginti annos natus Mantuanum ſuſcepit imperium, et ſextum poſt annum cum Iſabella ſpectatæ pulchritudinis, ac prudentiæ virgine Herculis Ferrariæ Ducis filia maxima cum ſolemnitate nuptias celebravit. Is bellicis rebus ſummopere addictus, adeo in eis excelluit, ut a Venetis, Julio II., et Cæſare armorum Capitaneus Generalis fuerit declaratus, quo in munere grande ſibi nomen fecit, et non paucas victorias reportavit. Poſt tot egregia facinora militiæ vale dicens Mantuam ſe recepit; ibique IV. Kal. Aprilis MDXIX. ſceptrum cum vita depoſuit. Corpus ad Sanctum Franciſcum delatum, humili

(1) Bellini Diſſert. 2. pag. 67.

(2) Franciſcus in monetis ſemper barbatus apparet, primumque inter Italos illius ævi Principes, qui barbam aluerint, fuiſſe ex nummis didicimus.

Digitized by Google

LVCÆ

I



II

III



VI

V



VI



MACERATÆ

I

II

IV



VI

MANTVÆ

I

III

V



VII



Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

li pompa, ut ipſe edixerat, tumulatur. Sex ei filii ſuperſtites fuere, Fridericus nempe in Principatu ſucceſſor, Hercules (1), Ferdinandus (2), Eleonora (3), Hippolyta, et Paulla ex Iſabella procreati. Duo

(1) Hercules ad matris preces a Clemente VII. anno MDXXVII. inter Cardinalium numerum cooptatus ob ejus ſingulares animi dotes maximo ſemper apud Carolum V., & Ferdinandum Cæſares, Franciſcum, & Henricum II. Galliarum Reges in pretio fuit; & ſæpius in arduis negotiis Conſiliarium Summi Pontifices adhibuere. Epiſcopus Mantuanus per reſignationem a Sigiſmundo patruo ei factam renunciatus, non pauca inexhauſtæ liberalitatis, & miſericordiæ documenta edidit; multa enim ſcutorum aureorum millia, Mantua annonæ caritate laborante, in pauperum alimoniam diſtribuit. A Pio IV., qui Tridentinum Concilium per decennium intermiſſum reaſſumere decreverat, & ſingularem Gonzagæ doctrinam, atque in rebus gerendis dexteritatem agnoverat, Legatus, & Præſes anno MDLXII. declaratus, cum arduam ſibi concreditam provinciam & factis, & ſcriptis prudenter ad annum proximum adminiſtraſſet; conceptam de eo ſpem mors abſtulit: lento enim morbo correptus VI. Nonas Martias fatis conceſſit. Corpus Mantuam delatum in Sancti Petri ſacrario ſepulturæ traditur.

(2) Ferdinandus (cujus vitam intexuit, & typis edidit Julianus Goſellinus) a Carolo V. armorum Præfectus deſignatus, Florentinos, qui per decem menſes pro gloria, & patriæ libertate decertaverant, & gravem obſidionem ſuſtinuerant, colla ſubmittere adegit. In Africam cum ipſo Carolo progreſſus, ſtrenui in Tuneti expugnatione Ducis officium peregit, cujus peritia, auctoritateque adductus Cæſar eum Proregis Siciliæ titulo cohoneſtavit. Siculis rebus decennium optime adminiſtratis, in locum emortui Piſcarii Inſubriæ Gubernatoris ſufficitur, ei adjuncto tamquam ſecretarum rerum arbitro Joanne Maona avaritiæ labe notato, cui cum plenas habenas nimis fidens Gonzaga permiſiſſet; ab ejus ſceleribus, & malitia ſupplantatus ſæpius a recto tramite deflexit, & in injuſtitias dilapſus eſt. A Philippo Hiſpaniarum Rege, cui Carolus pater Mediolanenſem Ducatum in feudum conceſſerat, in Belgium evocatus, eo in bello, quod anno MDLVII. inter Hiſpanos, & Gallos vertebatur, grande ſibi nomen fecit, & Sancti Quintini expugnationis conſiliarius, & auctor fuit, qui cum diu, noctuque eo in ſubigendo elaboraſſet, & gravem morbum contraxiſſet; Bruxellis XVII. Kal. Decembris ejuſdem anni MDLVII. vivere deſiit. Corpus in Italiam deportatum, in Mantuana Cathedrali Eccleſia fuit tumulatum.

(3) Eleonoram, egregiis ejus dotibus commotus, Franciſcus Maria Rovereus

Digitized by Google

V. Duo ſubſequentes nummi aureus unus, argenteus al-
VI. ter exhibent Friderici caput, cum ejus nomine in circulo exarato. Oſtendunt poſticæ Sanctæ Catharinæ ſtantis imaginem, cum lemmate SANCTA CATERINA.

Septimus æreus pauculo argento mixtus nummus præfert e-
VII. juſdem Friderici vultum hiſce vocibus circumſeptum FE. II. MAR. M. IIIII. *Fridericus ſecundus Marchio Mantuæ quintus*. A tergo inſpicitur Sancta Catharina ſedens cum hac inſcriptione S. CATE. S. XPI IHES. Fridericus a paternis veſtigiis haudquaquam declinans, in juventutis flore adeo in armis claruit, ut in eo bello, quod inter Leonem X. cum Cæſare conſociatum, et Franciſcum Gallorum Regem gerebatur, fuerit ſupremus Armorum Eccleſiæ Capitaneus anno MDXXI. declaratus, quo tempore cum fortem navaſſet operam, eo in munere fuit triennio poſt a Clemente VII. confirmatus; et ipſe Cæſar novis Copiis anno MDXXIX. e Germania in Italiam accitis, Capitanei Generalis titulo Fridericum præfecit.

Argenteus octavus habet in una parte Principis faciem,
VIII. cum hiſce circumpoſitis vocibus FRIDERICVS II. M*archio* MANTVAE IIIII. In altera occurrit Sanctus Longinus ſtans, dextera ſacram Pixidem, ſiniſtra lanceam ſuſtinens, cum iſta epigraphe HIC SAN. EXIVIT D. LAT. XPI. *Hic Sanguis exivit de latere Chriſti*. Conſtans eſt plurimorum probatæ auctoritatis Scriptorum, et a nonnullis Summis Pontificibus confirmata ſententia, pretioſum Sanguinem Mantuæ veneratum e latere Chriſti Paſſionis tempore effluxiſſe; perhibent enim Longinum, qui Chriſti latus in Cruce pendentis lancea aperuit, Sanguinis partem ex vulnere manantis in ſpongia collegiſſe, et poſt varias peragratas Regiones Mantuam perventum, ſpongia compreſſa pretioſum hunc Sanguinem emanaſſe.

Æreum nonum argento mixto nummum ſub Friderico, et an-

---

vereus Urbini Dux matrimonio ſibi junxit. Hippolyta, & Paulla abdicatis ſæculi pompis, ut melius Deo inſervirent, in Sancti Vincentii, & Sanctæ Paullæ Cœnobiis monaſticam vitam profeſſæ ſunt. Paulla vero tanta vitæ auſteritate, & ſanctimonia refulſit, ut Beatæ titulum meruerit reportare.

Digitized by Google

ante annum MDXXVI. fuiſſe cuſum ex indubio Documento (1) excerpſimus. Exponit hic in antica ſacram Pixidem, et inſcriptionem in orbe exaratam SANGVINIS XPI IHESV., in exergo MANT. In poſtica Olympum montem, in cujus ſummitate legitur FIDES. Limbus inſcribitur hac voce ΟΛΥΜΠΟΣ. IX.

Sub eodem Friderico percuſſus eſt argenteus decimus, poſtquam ille Marchionis titulo depoſito, Ducis alterum eſt aſſequutus. Ibi viſitur effigies Principis cum his vocibus in circuitu FEDERICVS II. MANTVÆ DVX I. In averſa facie medium tenent bini Angeli ſacram Pixidem ſuſtinentes, cum ſolita epigraphe SANGVINIS XPI IHESV. Quum Carolum V. Bononia redeuntem, ubi fuerat a Clemente VII. Imperiali corona redimitus, Mantuæ VIII. Kal. Aprilis MDXXX. magnificentiſſime Fridericus excepiſſet; Cæſar, ut tanto Principi pro ſingularibus ejus meritis, officiiſque ſibi in armis præſtitis præmium rependeret, eum Ducali dignitate condecoravit, quo titulo deinceps nummi inſigniti ſunt. X.

Eamdem Principis imaginem cum ejus nomine in margine exarato in argenteo undecimo perpendimus. A tergo eminet Sanctus Longinus cum lemmate, ut in ſeptimo. XI.

In anteriori duodecimi argentei nummi facie habemus Gonziacæ gentis ſcutum teſſerarium Friderici nomine circumſeptum. In poſteriori Sanctum Longinum in genua provolutum ſacram Pixidem Divo Andreæ ſtanti porrigentem, additis in circuitu his vocibus NICHIL ISTO TRISTE RECEPTO. Longinus poſt Chriſti paſſionem Catholicam profeſſus Religionem, ob ejus confeſſionem anno LXXI. Idibus Martii Martyrii palma Mantuæ coronatus eſt, ibique ſacræ ejus Reliquiæ ſervantur. XII.

In decimo tertio aureo nummo cernitur ejus Principis ſcutum teſſerarium cum inſcriptione FEDERICVS II. MANTVAE DVX I. A tergo inſculpta apparet Salvatoris noſtri denudata imago, Chriſtianæ Pietatis ſymbolum, cum epigraphe SI LABORATIS EGO REFICIAM. XIII.

Aureus decimus quartus in omnibus conſonat cum antece-

(1) Memoratur hic nummus in Proclamatione Ferrariæ publicata die prima Februarii MDXXVI., & a me evulgata in libro cum titulo = *Dell' antica Lira Ferrareſe di Marcheſini &c.* pag. 93. & ſeq.

Digitized by Google

XIV. denti, dempta inscriptione anterioris faciei, quæ sic sonat FED. DVX. MANT. E. MAR. MONTIS FE. *Fridericus Dux Mantuæ, et Marchio Montis Ferrati.*

En in quinto decimo æreo Friderici caput cum appellatio-
XV. ne Ducis, et Marchionis Montis Ferrati. Tota aversa pars ab hac voce occupatur ΟΛΥΜΠΟΣ. Fridericus Ducali titulo insignitus, de ineundo matrimonio cœpit meditari, et anno proximo nuptias cum Margareta ex Guilelmo Montisferrati Marchione nata celebravit, ea tamen in pactis matrimonialibus conditione apposita, ut si Joannes Georgius ejus patruus absque liberis decessisset; ipse uxorio jure in Marchionatu succederet. Sublato sine ulla prole Georgio MDXXXIII., Cæsar triennio post Monferratensem Ditionem Friderico adjudicavit, quo tempore duo evulgati nummi cusi sunt. Excessit Fridericus IV. Kal. Julias MDXL., et ejus corpus apud S. Paullam funeratum. Quinque ex Margareta uxore Fridericus sustulit liberos, Franciscum nempe, Guilelmum, Ludovicum (de quibus infra), Isabellam Ferdinando Davalo Marchioni Piscariæ nuptam, et Fridericum posthumum a Pio IV. sacra Purpura condecoratum, et Mantuæ Episcopum renuntiatum anno MDLXIII.

In argenteo sexto decimo nummo effictam cernimus juve-
XVI. nilem imaginem, verbis in gyrum positis FR. MAN. DVX ET MAR. MO. F. *Franciscus Mantuæ Dux, et Marchio Montis Ferrati.* In aversa facie stat ipse paludatus, dextera signum militare, et aliud in sinistra tenens, cum epigraphe INDOLI. PRINCIPIS. Friderico sublato, Franciscus primogenitus in Ducatu succedit, cui pater, cum octavum ætatis annum nondum attigisset, Margaretam matrem spectatæ prudentiæ matronam, et Herculem patruum Cardinalitia purpura insignitum imperii socios, ad legitimam quousque perveniisset ætatem, testamento assignavit; quorum dexteritate, et virtute laboriosa suscepta provincia maxima subditorum tranquillitate administrata.

Visitur in æreo decimo septimo ejusdem Principis imago
XVII. cum hisce circumpositis vocibus FR. MANTVAE DVX II. Postica sacra Pixide insignitur, cum solita epigraphe SANGVINIS XPI IHESV.

Æreus decimus octavus similis est antecedenti, si verba ex-
XVIII. cipias anterioris partis, quæ sic se habent FR. DVX MAN. II. ET

MANTVÆ

VIII
AR

IX
AR

X
AR

XI
AR

XII
AR

XIII
AV

XIV
AV

XV
Æ

XVI
AR

XVII
Æ

XVIII
Æ

XIX
Æ

XX
AR

XXI
AR

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

ET M. M. F. *Franciſcus Dux Mantuæ Secundus, & Marchio Montis Ferrati.*

Ejuſdem Ducis vultus, cum lemmate ut ſupra, perhibetur in æreo decimo nono, in cujus poſtica facie inſculpta apparet mulieris ſtantis figura dextera ſacram Pixidem ſuſtinentis, cum inſcriptione ut in XVI. XIX.

Vigeſimus argenteus oſtendit Franciſci caput cum ejus nomine in circuitu. A tergo Sanctus Andreas, et Sanctus Longinus ſacram Pixidem ſuſtinent: in medio Ara, in qua hæc verba XPI SANGVINIS; inferius MANTV*a*. Erat Franciſcus affabilitate, humanitateque præſtans, atque animi, et morum ſuavitate clarus; ideoque gratus omnibus, ac jucundus. Hiſce egregiis dotibus Ferdinandus Romanorum Rex, Caroli V. Imperatoris frater illectus, generum ſibi adſcivit, tradita illi uxore Catharina filia (1), quæ cum ad Sponſum XI. Kal. Novembris MDIL. acceſſiſſet, poſtera die in templo D. Andreæ matrimonium celebratum eſt. Mantuanorum eo tempore apparatus, ac pompæ magnificæ ſatis fuere, cunctis veſtitu, ornatuque certantibus: ibi cantus, choreæ, tripudia, atque equeſtres ludi. Verum cum bonorum felicitas non ſit diuturna, et facile lætitia mundi in dolorem vertatur; non multo poſt triſtis luctus, mæſtumque ſilentium ſubditos tenuere; etenim Decembri menſe cum juvenis Princeps in lacum cecidiſſet, gravi terrore perculſus morbum contraxit, quo ingraveſcente, anno proximo die XXVI. Februarii curſum vitæ ſuæ confecit. XX.

Pro Mantuanorum nummorum coronide argenteum damus in una parte omnino ſimilem illi, quem expoſuimus ſub num. XII. Exhibet poſtica Angelum gradientem ſiniſtra puerum trahentem, cum lemmate *Domi*NE DEMO*n*STRA MICHI VIAS TVAS. Hoc quoque placuit addendum, emortuo Franciſco Guilelmum fratrem fuiſſe ſuffectum, cujus nummos, utpote recentiores, et ultra inſtitutum noſtrum procurrentes prætermiſimus. Genuit hic Vincentium in Ducatu ſucceſſorem, ex quo

(1) Catharina poſt exceſſum Mariti ad paternos lares regreſſa, tertium poſt annum Sigiſmundum II. Poloniæ Regem ſibi deſponſavit, accedente tamen Pontificis diſpenſatione; nupſerat enim Eliſabethæ Catharinæ ſorori, quæ tertio matrimonii anno ex hac vita demigraverat.

Digitized by Google

nati tres filii, Franciſcus nempe, Ferdinandus, et Vincentius II., qui unus poſt alium Mantuanis rebus præfuere. In Vincentio II. improli defuncto anno MDCXXVII. defecit Guilelmi ſtipes, quo tempore ad Carolum I. Niverni Ducem ex Ludovico (1) natum ſceptrum translatum, et hoc functo anno MDCXXXV-II. hæres unicus remanſit Carolus II. nepos (2), qui ſub tutela Mariæ matris ex Franciſco Mantuæ Duce V. natæ iniit Principatum. Hic vigeſimum ætatis ſuæ annum agens cum Iſabella Clara Leopoldi Auſtriaci Tirolis Comitis filia nuptias fecit, ex quo matrimonio Ferdinandus Carolus ultimus Mantuanorum Dux procreatus eſt. Gravi enim ſub initium hujuſce Sæculi inter Auſtriacos, et Borbonicos pro Hiſpaniarum Regno exorto bello, cum poſt varia inter partes geſta certamina, Auſtriaca tandem prævaluiſſet potentia; Ferdinandus, qui Galliſpanis, vi tamen, et metu, ut ipſe fatebatur, adhæſerat, ab Imperiali Conſilio Rebellis declaratus, XII. Kal. Februarii MDCCVII. ſede relicta, Venetias, inde Patavium ſe contulit; ibique anno qui inſequutus III. Nonas Julii dolore plenus, ac luctu fatis conceſſit.

MASSÆ LOMBARDORUM.

I. Argenteus primus oſtendit in prima fronte Franciſci Eſtenſis Stemma, cum ejus nomine in circuitu. In poſteriori Sanctum Paullum loci Protectorem, et inſcriptionem S. PAVLVS MASSÆ LOMBAR*dorum*.

In ſecundo argenteo (3) hæ ſiglæ conſpiciuntur F. E. cum coro-

(1) Ludovicus ex Friderico Mantuanorum Duce primo natus cum in Gallias ſe contuliſſet anno MDIL., adeo ſummis officiis Enrichetam Niverni Ducis Filiam ſibi devinxit, ut ipſa poſt obitum patris Ducatus hæres facta, cæteris poſthabitis Principibus, qui ad ſuas nuptias contendebant, Gonzagam ſibi matrimonio copulavit anno MDLXV., ex quo prodiit Carolus I. jure ſanguinis in Mantuano Ducatu ſucceſſor.

(2) Pridie Kal. Novembris MDCXXIX. oritur Carolus II. ex Carolo Caroli I. filio, qui in vita patris obierat III. Kal Septembris MDCXXXI.

(3) Hic binis illis ferme ſimilis eſt, quos in ſecunda Diſſertatione evulgavi-

Digitized by Google

corona ſuperimpoſita, nempe *Franciſcus Eſtenſis*. Limbus hac voce inſcribitur LOMBARDORVM. Alterius partis medium occupat Aquila expanſis alis cum epigraphe NOBILITAS ESTenſis. II.

In tertio ex infimo argento compacto repræſentatur Principis caput ejus nomine circumvallatum. A tergo viſitur gentilitium ſcutum cum lemmate MAR*chio* MASSE LOMBARDORum. De hujus Principis geſtis alibi (1) ſatis egimus. Hoc quoque placuit addendum: Privilegium cudendi ex omni metallo Monetas a Ferdinando II. Imperatore VIII. Kal. Novembris MDLXIV. Franciſcum impetraſſe, eodemque tempore Maſſam Lombardorum fuiſſe Marchionatus titulo ab ipſomet Cæſare condecoratam. III.

MEDIOLANI.

AD Mediolanenſes, alphabeticum ordinem ſequentes, pervenimus nummos, eoſque temporum ratione exponemus. Horum primus aureus eſt, repræſentatque in antica parte Sancti Ambroſii urbis Patroni protomen pectore tenus, cum ejus nomine in circuitu. In poſticæ medio exhibetur litera M. urbis nominis initialis, cum circumducta epigraphe MEDIOLANVM. Exauctorato in Lugdunenſi Concilio Friderico II. Imperatore, anno MCCXLV. vacavit Imperium ad annum MCCLXXII., quo tempore a Mediolanenſibus ſui juris factis nummus, ut cenſeo, cuſus eſt. I.

In area ſecundi argentei nummi effulget Crux affabrè elaborata, verbis in orbe poſitis AZO VICECOMES. A tergo viſitur Sancti Ambroſii in cathedra ſedentis imago, cujus nomen in margine continetur. II.

Eadem quoque Crux oſtenditur in tertio argenteo, hiſce circumvallata characteribus AZO VICECOMES MEDIOLANVM. In averſa facie occurrit Sanctus Ambroſius ſedens cum circumducta epigraphe S. AMBROSIVS; deinde exiguus ſerpens III.

Vi-

---

gavimus ſub num. 3. 4. At cum diverſo typo ſit cuſus, non eſſe prætermittendum duximus.

(1) Bellini Diſſert. prima edita anno 1755. pag. 62. 63. 64.

Digitized by Google

Vicecomitum Stemma, Ludovicus Bavarus Vicecomitum præsertim precibus Italiam ingressus, ubi Mediolanum devenit; Galeatium Matthæi filium, qui summo cum imperio urbanis rebus præerat, multis calumniis a Marco fratre apud Cæsarem oneratum, carceribus una cum Joanne, Luchino, et Azone demandavit; et Mediolanensem Ditionem in jus Imperii vindicavit, quam inde quartum post annum vigintiquinque millium Florenorum pretio in Azonem Vicarii Imperialis titulo transtulit. Cæterum evanescentibus Bavari in Italia rebus, et ipso ad suam sedem regresso, Azo ab ejus amicitia deflexit, et a Mediolanensi populo Dominus salutatus, res ad arbitrium, quoad vixit, moderatus est.

IV. Aureus quartus summæ raritatis nummus exhibet in una parte gentilitium Vicecomitum scutum hisce vocibus circumseptum LVCHINVS VICECOMES MEDIOLANVM; in altera Sanctum Ambrosium sedentem, elata dextera ad benedictionem impartiendam, sinistra pastoralem virgam sustinentem cum hac inscriptione S. AMBROSI*us* IOH*anne*S VICECO*m*ES. In medio vitæ cursu Azone sublato anno MCCCXXXIX., Luchinus, et Joannes Mediolani Archiepiscopus fratres hæreditatis jure in Nepotis Principatu succedere, sub cujus initium Monetæ utroque nomine conscriptæ sunt; inter fratres inde conventum, ut Luchinus prophanis rebus incumberet, Summa verò Ecclesiasticarum ad Joannem pertineret.

V. Spectat quintus argenteus ad Joannem Archiepiscopum, qui post Luchinum ex veneno sibi per uxorem propinato fatis functum MCCCIL; sacrarum rerum administrationem cum temporali regimine conjunxit. In ejus anteriori parte eminet Crux Principis nomine circumcincta. Alterius partis medium occupat litera M. cum urbis nomine in limbo MEDIOLANVM. Decessit Joannes III. Nonas Decembris MCCCLIV., tribus superstitibus nepotibus Matthæo scilicet, Bernabove, et Galeatio, sua unicuique imperii portione ad evitandas rixas testamento assignata.

VI. Argenteus sextus exhibet in area Vicecomitum Insigne, ac literas G Z., ideſt *Galeazius*, et in limbo ejusdem Principis nomen: in postica nodosum truncum, e quo pendent duæ situlæ aquam continentes, cum inscriptione *Domi*N*u*S MEDIO-

LA-

Digitized by Google

TAB. IX. P. 47

MASSAE LOMBARDORUM



MEDIOLANI







Digitized by Google

Digitized by Google

LANI PAPIE ℥C. Matthæo biennio poſt e vivis erepto, ejus portio ad Bernabovem, et Galeatium fratres devenit. Galeatius, nobili quodam Belga in certamine ſuperato, et occiſo, ejuſque ſcuto, in quo bini accenſi torres totidem aquariis ſitulis pendentibus depicti, ſui juris facto, eos gentilitiis Inſignibus ſuperaddidit, quibus ipſe, mox cæteri Vicecomites, et Sfortiæ uſi ſunt.

In medio ſeptimi ex infimo argento conflati nummi inſpicitur Crux cum quatuor roſis in angulis diſpoſitis, circa quam VII.
hæc inſcriptio GALAZ*ius* COMES VIRTV*tum*. A tergo inſculptus appareat ſerpens puerulum devorans, antiquum Vicecomitum Stemma, literis hinc inde diſpoſitis G. Z. nomen Principis indicantibus: ibi legitur in circuitu DOMINVS MEDIOLANI ℥C. Galeatio functo anno MCCCLXXII. Joannes Galeatius filius Comes Virtutum appellatus ſucceſſit, maxima herclè Bernabovis triſtitia, qui cum Ditionem diviſam graviter pateretur, de exturbando nepote cœpit meditari, inſidiaſque moliri. Non latuere Galeatium; utque artem arte illuderet, Patruus pridie Nonas Majas MCCCLXXXV. dolo circumventus in carcerem truditur, et ſeptem poſt menſes veneno extinguitur. Itaque totius Inſubriæ imperium Joannes Galeatius ſumpſit, et omnium primus anno MCCCXCV. apud Mediolanenſes Ducis nomen a Wincislao Imperatore obtinuit. Quamplurimis is Italiæ urbibus vi, aut metu ſuo adjectis imperio, dum titulum Italiæ Regis affectabat, morte præventus III. Nonas Septembris MCCCCII. Mariniani vivere deſit.

In anteriori octavi argentei nummi fronte oſtenditur ſerpens cum ſiglis I. M. hinc inde diſpoſitis, nempe *Joannes Maria*, VIII.
cujus nomen in margine repetitur. In poſteriori eminet Crux cum inſcriptione DVX MEDIOLANI ℥C. Joannes Galeatius morti proximus, ne Joannes Maria, et Philippus Maria filii pro imperio decertarent; illud inter eos diviſum reliquit, et Joanni Mariæ, uti majori natu, Mediolanum, et Ducis titulum aſſignavit. Verum cum is tyranno modo viveret, nimiaque crudelitate ſubditos divexaret, XVII. Kal. Junii MCCCCXII. dum ad Sancti Gothardi Ædem ſe confert, a Conjuratis gladio percuſſus interiit.

Nonus ex infimo argento conflatus nummus perhibet ſerpen-

IX. pentem Vicecomitum Stemma cum hiſce circumpoſitis vocibus FILIPVS MARIA: A tergo Crucem, et epigraphen DVX MEDIOLANI ȝC.

In circulo decimi ex eodem metallo compacti legitur FI-
X. LIPVS MARIA, et in medio Dux. Poſtica inſignitur Cruce cum lemmate MEDIOLANI DVX. Joanne Maria turpi morte ſublato, totius Mediolanenſis imperii faſces ad Philippum Mariam translatæ. Is Carmaniolæ in armis celeberrimi virtute Ditionis urbibus, quæ in vita fratris in Tyrannorum arbitrium devenerant, recuperatis, cum quinque et triginta annos ſubditos gubernaſſet, Idibus Auguſti MCCCCXLVII. e vivis exceſſit, et in ejus morte tota hæc Vicecomitum familia expiravit.

Undecimus æreus argento mixtus nummus exhibet. in area Mediolanenſis Populi Inſigne hiſce vocibus circumſeptum COMVNITAS MEDIOLANI. In averſa facie medium tenet Sancti Ambroſii imago dextera flagellum, ſiniſtra pedum ſuſtinentis,
XI. literis in gyrum poſitis S. AMBROSIVS MEDIOLANI. Sublato ſine legitima prole Philippo, Mediolanenſes ſui juris facti, ob multas ſuperioris temporis noxas, quarum memoria vigebat, averſis a Ducibus animis, antiquam libertatem tutaturi rati, novum ex ſe ſe magiſtratum conſtituerunt, et mercenarios milites ad illorum reſiſtendum armis, qui Inſubriæ Principatui inhiabant, conduxerunt. At irriti eorum conatus cecidere; etenim poſt duos libertatis annos alterius Principis jugum ſubire adacti ſunt. Interregni itaque tempore nummus percutitur.

In medio duodecimi ex eodem metallo conflati nummi re-
XII. præſentatur teſſerarium ſcutum cum hiſce verbis in circulo exaratis FRANCISCVS SFORTIA VICECOmes. Alterius faciei area inſignitur Cruce, circa quam hæ voces DVX MEDIOLANI PaPIEQue COmes ȝC. Franciſcus Sfortia militia clarus, qui jure Blanchæ Mariæ Philippi ex pellice filiæ ſibi matrimonio junctæ ad Soceri imperium aſpirabat, cognita Ducis morte, Cottignola, ubi verſabatur, excedens multis equitum, ac peditum ſubnixus copiis citato itinere in Inſubriam contendit, primoque impetu Civium conſenſu Ticinum in ſuam redegit poteſtatem. Bello dein cum Venetis pro Vicecomitis Ditione decertantibus feliciter ad Caravagium geſto, occupatiſque nonnullis Ducatus urbibus; ad circumvallandum Mediolanum gra-

vi

Digitized by Google

vi fame preſſum progreditur, tantaſque in anguſtias adegit, ut felibus, et canibus plerique veſcerentur: quæ mala cum in dies augerentur; Populares exaſperati armis ſumptis die XXV. Februarii MCCCCL. in forum concurrunt, deturbatiſque ex publica Æde Rectoribus, poſtero die, Concilio inter ſe facto, cum Sfortiæ ſibi magis imperium, quam Venetorum profuturum agnoſcerent; Sfortiæ nomen, Optimatibus exoſum, unanimi conſenſu, unoquoque ore inclamant, et in Ducem eligunt. Nuncio ad Franciſcum delato, confeſtim advolat, et in Principatus poſſeſſionem admittitur, et ſic Mediolanenſis Ducatus ad Sfortianam gentem delatus in cujus ſtirpe LXXXV. annos perduravit. Franciſcus ſub initium imperii, Urbis Primatibus, ne deſperatione correpti aliquod obſtinatius molirentur, officiis, et gratiis ſibi devinctis, ſumma cum humanitate, prudentiaque ad annum uſque MCCCCLXVI. ſubditos gubernavit, quo lento morbo correptus VIII. Idus Maji fato ceſſit; Galeatio Maria filio Principatus hærede relicto.

In decimo tertio aureo nummo ſpectare potes Galeatii Mariæ effigiem hiſce vocibus circumſeptam G℥. M.SF. VICECO. DVX MLI. V. *Galeatius Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani quintus*. A tergo Vicecomitum Inſignia, cum inſcriptione XIII.
PP. ANGLEQ℥. CO. AC IANVE D. *Papiæ Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus*. Galeatius nimia licentia in luxuriam, ſævitiamque prolapſus cum ad fœdandos alienos thoros ſe dediſſet, quamplurimaque crudelitatis exempla edidiſſet; adeo ſubditorum odia contraxit, ut anno MCCCCLXXVI. die XXVI. Decembris in Æde Divi Stephani fuerit a Conjuratis trucidatus.

Decimus quartus æreus nummus oſtendit ex una parte Ludovici XII. Francorum Regis Stemma cum ejus nomine in mar- XIV.
gine exarato. Ex altera Sancti Ambroſii imaginem, et in ambitu hæc verba DVX MEDIOLANI.

Eidem Ludovico adſcribitur quintusdecimus argenteus, in cujus prima fronte inſpicitur Regis caput corona redimitum, circum XV.
quod hæ voces LVDOVICVS REX FRANCORVM. A tergo ſcutum teſſerarium cum duabus exiguis coronis hinc inde diſpoſitis; ſic enim habet inſcriptio ET MEDIOLANI DVX ET C. Poſt Galeatii Mariæ exceſſum, Joannes Galeatius ejus filius octennis ſub Bonæ matris tutela iniit Principatum. Cæterum

Digitized by Google

Ludovicus patruus, cui Mauri cognomentum erat, aura dominandi elatus res ad arbitrium cœpit moderari, et Nepotem in tantas anguſtias adegit, ut aliquando alimentorum inopia premeretur. Non ſine veneni ſuſpicione, et ei a Patruo propinati, ut nonnulli memoriæ prodidere, deceſſit infelix juvenis XI. Kal. Novembris MCCCCXCIV., duobus poſt ſe relictis filiis, Franciſco ſcilicet quinquenni, et Bona ex Iſabella uxore Alphonſi Neapolis Regis filia procreatis. Moriens Joannes Patruo commendaverat, ut Gubernatoris vices induens Franciſci tutelam, uſque dum pupillarem egrederetur ætatem, ſuſciperet; at ille fidei ſanctitate, et humanis legibus contemptis puerum ad ſortis ludibrium reliquit, ſumptoque Ducis nomine Principatum per injuriam occupavit, in quo tamen, Deo ſic permittente, diutius non egit; etenim Carolo VIII. Francorum Rege e vivis rapto, et in ejus locum Ludovico Andegavenſi ſuffecto; is Mediolanenſem Ducatum Aviæ Valentinæ jure ſibi debitum repetiturus; Joannem Jacobum Triultium in armis clarum, et Sfortiæ infenſum in Inſubriam cum multo milite anno MID. immiſit. Poſt varios belli caſus, Maurus anno qui inſequutus Novariam defendens Helvetiorum proditione hoſtibus in manus traditus, in Galliam adducitur, ibique in Lovanienſi arce incluſus, fortunam ſuam deplorans decem poſt annos vivere deſiit. Ludovico ergo Rege Mediolanenſes res moderante, nummi percuſſi.

Habet decimus ſextus argenteus Caroli V. Imperatoris co-
XVI. ronatum caput, literis circumſcriptis IMP. CAES. CAROLVS V. AVG.: in poſtica inſpicitur Salus ſtans cum Ara, et ſerpente, inferius Padus jacens: circumducitur inſcriptio SALVS AVGVSTA, in exergo PADVS MLI. *Mediolani*. Regiis copiis ab armis Julii II. cum Cæſareis, ac Venetis conſociatis Italia expulſis; Maximilianus Mauri major natu filius in paterno ſolio collocatur; eo verò a Franciſco Francorum Rege, qui Ludovico ſucceſſerat, exturbato, et in Gallias deducto; Franciſcus ejus frater Leonis X., ac Caroli V. auxiliis anno MDXXI. ſceptrum ſumſit, et hoc abſque liberis functo MDXXXV. Mediolanenſis Ducatus ad ſacrum Romanum Imperium eſt devolutus, in cujus poſſeſſionem Carolus pedem poſuit, et in ejus obſequium Mediolanenſis populus nummum obſignavit.

Cum

Digitized by Google

MEDIOLANI

IX
AR



X
AR



XI
AR

XII
AR

XIII
AV

XIIII

XV
AR

XVI
A

XVII
N

XVIII
AR

Digitized by Google

Digitized by Google

Cum Carolus Mediolanenſi Ducatui ad annum MDXL. præfuiſſet; hunc Philippo filio, et ejus deſcendentibus maſculis V. Idus Octobris in Feudum regale conceſſit, quo imperante poſtremi duo nummi, aureus unus, argenteus alter, cuſi ſunt. Præfert aureus in anteriori facie ejuſdem Philippi coronatum caput, in poſteriori Inſignia cum hac inſcriptione in circulis exarata PHILIPPVS REX ET MEDIOLANI Dux. Oſtendit argenteus in area tres characteres PHI. cum corona ſuperimpoſita, Philippi nominis initiales, et in ejus circulo epigraphen MEDIOLANI DVX ET C. A tergo eminet Sancti Ambroſii ſtantis imago, cum ejus nomine in circuitu. Qui plura de Vicecomitibus, ac Sfortiis ſcire deſiderat, adeat Diſſertationes a me editas, in quibus ei abunde ſatisfaciam. XVII. XVIII.

MIRANDULÆ.

ÆReus primus pauculo argento mixtus nummus (1) repræſentat Principis Stemma, cui inſidet aquila expanſis alis, verbis in gyrum poſitis IO. FRANCISCVS MIR. Exhibet poſtica Sancti Poſſidonii urbis Patroni imaginem cum ejus nomine in circuitu. Ioannes Franciſcus Galeotti filius poſt patris exceſſum Mirandulanum iniit Principatum, quod cum Ludovicus ejus frater ægre ferret, Herculis Ferrariæ Ducis imploratis, reportatiſque auxiliis, anno MDIII., eo expulſo, ſceptrum ſumpſit. Erat Ludovicus ex ſecundis patris nuptiis natus cum Blancha Nicolai III. Eſtenſis filia notha celebratis. Is eo in bello (2), quod inter Ferrarienſes, et Venetos anno MDIX. gerebatur, ab Alphonſo Duce in auxilium accitus, majoris I.

(1) Hunc primo intuitu illi ſimilem fore, quem dedimus in ſecunda Diſſertatione pag. 90., quiſque judicabit; verum ſi literas in ſecunda ejus fronte exaratas attentè contemplaveris, nonnullas deſiderari manifeſtè perſpicies.

(2) Hanc pugnam, in qua de Venetorum Claſſe inſignem victoriam Ferrarienſes reportarunt, vernaculo ſermone deſcripſit Hippolytus Cardinalis Eſtenſis Alphonſi frater, quam Coelius Calcagninus latinam reddidit, et ſuis Operibus adnexuit cum titulo = *Commentarius in Venetæ Claſſis expugnationem*. Hæc quoque victoria celebratur Areoſti Poetæ carminibus Cant. XXXVI.

Digitized by Google

tubi ictu in capite percussus, e vivis abscessit, Galeotto filio superstite ex Franciſca uxore, Joannis Jacobi Triultii militia celebris filia, procreato, qui una cum matre rerum curam suscepit. Anno vero MDX. cum inter Julium II. Alphonso Ferrariæ Duci infensum, et Ludovicum Francorum Regem, qui Estensis partes tuebatur, maximum discordiarum incendium fuisset excitatum; Pontifex, qui sub id tempus Bononiæ versabatur, ad oppugnandam Mirandulam Gallico firmatam Præsidio Decembri mense suas copias immisit, quæ cum segnius ob hyemis sævitiem rem gererent; Julius, nobile aliquod facinus animo volvens, IV. Nonas Januarias anni subsequentis ad Mirandulana Castra cum tribus Purpuratis processit; ibique supremi Ducis munus agens, aggeres educere, tormenta idoneis locis collocari, murosque verberare jubet. Oppidum vehementissime oppugnatum fortiter hostium conatus per multos dies elusit. Dirutis tandem muris, Præsidiarii tantum sibi nervorum ad aggressionem sustinendam, quantum ipsius periculi magnitudo poscebat, haudquaquam fore agnoscentes, in timorem rerum suarum adducti de facienda deditione consilium cœpere; et XIII. Kalendas Februarias honestis conditionibus Mirandulam in liberam Julii potestatem tradidere, in cujus possessionem Joannes Franciscus immittitur. Perbreve porro ejus fuit imperium; eodem enim anno Joannes Jacobus Triultius, qui post obitum Ciamontis supremi Gallici exercitus Præfecti, in ejus locum successerat, Franciscæ filiæ precibus fatigatus in Mirandulam arma convertit, quibus territus Picus in Etruriam cum familia perrexit. Hæc inter Julius reassumptis viribus, et Gallis tota Italia ejectis, iterum in principatum restituitur Joannes Franciscus, tenuitque ad annum MDXXXIII., quo tempore Galeottus II. ejus nepos dominandi cupidine incensus, quadraginta stipatus militibus, Idibus Octobris sub noctis silentium Mirandulam ingressus, Patruum ante Crucifixi imaginem in suo cubiculo orantem, et Albertum filium trucidavit, maximo hercle subditorum, ac litteratorum mœrore; erat enim in Philosophicis rebus summopere eruditus, ut editi ab eo libri testantur.

Spectat secundus æreus ad Galeottum Joannis Franciſci in
II. dominatu successorem, ostenditque in prima fronte tesserarium

Prin-

Principis ſcutum hiſce vocibus circumſeptum GAL. PIC. II. MIR. CON. Q. D. *Galeottus Picus Secundus Mirandulæ, Concordiæque Dominus*. Totam oppoſitam occupat Gallus gallinaceus caduceo inſidens abſque ulla inſcriptione.

Argenteus tertius in omnibus conſonat cum antecedenti: III. Quartus verò ex infimo argento compactus perhibet in antica IV. ejuſdem Galeotti nomen, et Inſignia; in poſtica hæc verba SI DEVS PRO NOBIS QVIS CONTRA NOS. Galeottus poſt adeptum per injuriam Principatum, nulli rei magis ſtuduit, quàm conſanguineos variis contumeliis laceſſere, atque in eos inſævire. Anno verò MDXXXVI. Allobrogum oppidis, et arcibus fermè omnibus, et Taurino a Gallicis armis occupatis, Franciſcus Rex, Mirandulam pro ſuis in Italia ſervandis juribus aptiorem fore animadvertens, ea conditione, ut illæſum jugiter manuteneret dominium, a Principe impetravit, et valido Præſidio communivit. Ad annum uſque MDXLVIII. egit in dominatu Galeottus, quo ab Henrico, qui Patri in Regno ſucceſſerat, ob fidei ſuſpicionem in Gallias evocatus, biennio poſt gravi morbo preſſus Pariſiis die XX. Decembris vivere deſiit. Huic ſucceſſit Ludovicus filius a Francorum Rege in Principatum reſtitutus, cujus nummos utpote recentiores prætermiſimus.

MONTISFERRATI MARCHIONUM.

POſtremus ex inclyta Aderana Familia, quæ per plura ſæcula ſummo cum imperio Monferratenſi Ditioni præfuit, Joannes fuit. Eo autem functo, rerum ſumma ad Violantidem ejus ſororem a Græcis Irenem dictam hæreditario jure devenit. Nupſerat hæc Andronico II. Paleologo Græcorum Imperatori, ex quo cum tres virilis ſexus liberos, Joannem ſcilicet, Theodorum, et Demetrium procreaſſet; Theodorus ad avitum regendum Principatum fuit a Matre deſignatus. Anno ergo MCCCVI. imperii cura ſuſcepta, in oppido S. Martini, ut cenſeo, ſedem fixit (1), nummoſque cœpit obſignare, quorum unus ſum- I.

mæ

(1) Georgii Merulæ auctoritate fultus hæc ſcribo, qui in Montisferrati

mæ raritatis in noſtro Muſeo ſervatur. Eſt hic argenteus ad Venetorum Groſſorum formam vulgo *Mattapani* elaboratus, oſtenditque in prima fronte ſtantem Sancti Martini Oppidi Protectoris imaginem dextera manu vexillum tenentis, ac illud Marchioni porrigentis, cum inſcriptione S. MARTINVS THEODORVS MCH. A tergo eminet Redemptoris noſtri ſuper Cathedram ſedentis protome cum Evangeliorum libro in gremio, ac Græcis literis IC XC., nempe *Jeſus Chriſtus*. Cum Argentina ex Opicino Spinula Genuenſi ſummæ auctoritatis viro nata nuptias fecit Theodorus, et poſt duos et triginta regiminis annos ex hac vita demigravit, Joanne filio ſuperſtite in Principatu ſucceſſore.

In ſecundo aureo nummo inſpicitur aquila biceps cum gen-
II. tilitio Principis ſcuto in pectore depicto, verbis in orbe exaratis MONETA AVRE. G. M. MO. FE. 3. VI. P. P. S. IMP. *Moneta aurea Guilelmi Marchionis Montis Ferrati, et Vicarii Perpetui Sacri Imperii*. Averſa facies demonſtrat Crucem, circum quam hæ voces XPS. VINCIT. XPS. REGNAT. XPS. IMPERAT. Nummum ad Guilelmum III. ex Bonifacio natum ſpectare autumo, qui Patri in imperio ſucceſſit anno MCCCCXCI., et vitam cum morte commutavit MDXVIII.

Sub eodem Guilelmo æreus tertius eſt cuſus, in cujus ante-
III. riori parte hæ ſiglæ apparent inſculptæ G. M. *Guilelmus Marchio*, legiturque in margine MONTIS FERRATI. In poſteriori viſitur Sancti Evaſii Caſalis Patroni imago pectore tenus, verbis in gyrum poſitis S. EVAXIVS CVSTOS. Caſale Montisferrati Provinciæ caput ab Antiquis Bondicomagum dictum ad Guilelmi II. petitionem fuit a Xiſto IV. Summo Pontifice in Civitatem erectum, et Epiſcopali dignitate condecoratum anno MCCCCLXXIV., eaque in urbe Marchiones ſedem fixerunt.

In circulo quarti ærei legitur GVL. MONTISFER., et in
IV. ejus area inſculpta apparet litera M., hoc eſt *Guilelmus Montisferrati Marchio*. Poſtica præfert Crucem, et verba ADORAMVS TVAM ſubaudi *Crucem*. In

---

ti deſcriptione hæc habet = *Oppida quoque ſunt aliquot, quorum præcipua Burgum Sancti Martini et Ocimianum, quæ aliquando Marchionum ſedes fuit* =.

MIRANDVLÆ







MARCHIONUM MONTISFERRATI





Digitized by Google

Digitized by Google

In quinto ex infimo argento compacto nummo inſpicitur Imperialis corona cum mundi globo in exergo collocato, ad- V.
dita in limbo inſcriptione CAROL.S IMPERATOR. A tergo ſtat Sanctus Evaſius equo currenti inſidens cum ejus nomine in circuitu. Joanne Georgio ultimo Montisferrati Marchione ſine ulla prole ſublato anno MDXXXIII., gravis inter Sabaudiæ, et Mantuæ Duces pro Monferratenſi Marchionatu eſt oborta contentio; duxerat enim Mantuanus Margaretam defuncti Marchionis neptem: Sabaudus vero jure Teſtamenti (1) a Theodoro Marchione conditi anno MCCCXXXVI., cujus filia Violanta fuerat Aimoni Sabaudiæ Comiti nuptui collocata. At Carolus uti pacis, et honeſtatis amantiſſimus gliſcentem ignem extinguere, antequam invaleſcens in incendium irrumperet, opus eſſe ducens, ſibi cauſſam evocavit, et ne quipiam ſe læſum diceret, neve armis, ſed legibus dimicaretur, eam præſtantioris ingenii Juriſperitis (2) cognoſcendam commiſit: dumque res in contentione verſabatur, totam Provinciam ſuis armis occupavit. Juribus tandem poſt triennium ritè perpenſis, Cæſar III. Nonas Novembris MDXXXVI. per ſententiam (3) Genuæ datam Gonzagæ Marchionatum adjudicavit, atque in illius poſſeſſionem plena tranquillitate III. Kal. Decembris ipſe introivit. Carolo itaque Monferratenſes res moderante conſpicuus hic nummus procuſus eſt.

In medio ſexti ærei hæ ſiglæ conſpiciuntur M. F. Margaretæ, et Franciſci nomina indicantes, quæ clarius in ejus mar- VI.
gine hiſce characteribus exarata perpenduntur. MAR. FRAN. MON. F. MAR. *Margareta Franciſcus Montis Ferrati Marchiones*. Exhibet poſtica Sanctum Evaſium cum ejus nomine in cir-

(1) Conſule Benvenutum de S. Georgio apud Muratorium Tom. XXIII. Rer. Ital. Script. col. 457:, et hæc ſunt verba Teſtamenti =: *Etſi fortè (quod abſit) Joannes filius meus ab hoc ſæculo decederet ſine aliquibus filiis, vel filiabus legitimis, volo, et ex nunc declaro, quod filiæ meæ VIOLANT Comitiſſa Sabaudiæ, et filii ſui legitimi deſcendentes ab ea perveniant ad hæreditatem, et ſucceſſionem Marchionatus prædicti* =.

(2) Qui cauſſam patrocinati, fuere Marianus Socinus junior, Gozadinus, Pariſius, et Rolandus a valle.

(3) Hanc ſententiam evulgavit Joannes Chriſtianus Lunig in Codice Italiæ Diplomatico Tom. .. col. 1423.

Digitized by Google

circuitu. Margareta, ut diximus in Mantuanis nummis pag. 42. poſt Mariti exceſſum, tutela Franciſci filii in Principatu ſucceſſoris ſuſcepta, nummi Bodincomagi obſignati matris, et filii nominibus conſcripti ſunt. Anno verò MDLII. Monferratenſi fermè tota Ditione a Gallicis armis cum Hiſpanicis decertantibus occupata, et ſeptimum poſt annum pace inter belligerantes firmata; Guilelmo Mantuano tunc Duci reſtituta, ejuſdem regiminis cura fuit Matri demandata: tantaque integritate res moderatæ, ut aliud nullum præter ejus imperium exoptaretur. Non ſine ſubditorum mœrore fatis conceſſit Margareta die XXIX. Decembris MDLXVI. Ejus corpus Mantuam delatum, funere urbanæ multitudinis, ordinumque omnium lacrymis decorato, in Eccleſia Monialium Sanctæ Paullæ ſepulturam accepit.

MUTINÆ.

DE Mutinenſibus nummis verba facturi, antequam id aggrediamur, placuit nobis de hujuſce urbis initiis, viciſſitudinibuſque nonnulla præfari. Mutina vetuſtiſſima Galliæ ciſalpinæ urbs ab Thuſcis, ut loquuntur hiſtoriæ, condita, Gallorum Bojorum inde imperium ſubiit, et hiſce a Romano Populo domitis, Colonia, Livio teſte lib. XXXIX., eſt facta, Q. Fabio Labeone, et M. Claudio Marcello Conſulibus. Urbe, quæ jura Maxentii tuebatur, ab Magni Conſtantini armis diruta, et ab Odoacre Gothorum Rege ſolo æquata; Cives, qui ad tutiora loca confugerant, ad ſuas ſedes tandem reverſi in loco quatuor millibus paſſuum ab antiqua urbe diſſito conſederunt, et hunc ædificiis auctum Civitatem novam, ſeu Geminianam dixerunt. Cæterum cum facultatem reædificandi, augendique veterem urbem ab Henrico III. Imperatore anno MLV. impetraſſent; adeo hæc paullatim populo, opibuſque crevit, ut ad antiquum ſplendorem redacta videretur. Eo felici ſucceſſu elati Mutinenſes ſe ſub Imperatorum tutela in libertatem aſſeruere, creatiſque ſuis Magiſtratibus, antiqua jura repetentes, cum circumvicinis populis, maximè Bononienſibus, de confiniis implacabili odio ſæpius decertarunt, deque iis non ſemel victoriam

Digitized by Google

(1) reportarunt. At ubi peſtiferi ſimultatum, diſcordiarumque ignes inter Magnates incenſi, et ſe dominationis libidine vexare, laceſſereque cœpiſſent, a priſtina potentia urbs declinavit, et in deterius prolapſa eſt: quibus moti Seniores, ut Reipublicæ rebus conſulerent, tumultuantibuſque frenum imponerent, ſe ſe, ſuamque urbem Obizoni II. Eſtenſi Ferrariæ Vicario anno MCCLXXXVIII. ſubmiſère; et eo functo, Azoni filio, qui cum gravi manu ſubditos regeret, anno MCCCVIII. expulſus eſt. Reaſſumpta libertate variam deinde fortunæ aleam ſubiere Mutinenſes; etenim Bonacolſis Mantuæ Tyrannis, Ludovico Bavaro, Joanni Bohemiæ Regi, dein Manfredo Pio parere coacti ſunt, qui in Obizonis III. Eſtenſis manus urbem dimiſit VII. Idus Aprilis MCCCXXXVI. Poſt hunc Aldobrandinus, inde Nicolaus II., poſtea Albertus fratres ex eodem Obizone nati Principatum tenuere. Alberto ſucceſſit Nicolaus III. filius, et hunc excepit Leonellus ex eo natus, quo functo, ad Borſium fratrem imperium translatum. Hic in Principatu confirmatus a Friderico III. Imperatore Ducis Mutinæ, et Regii titulo XV. Kal. Junias MCCCCLII. cohoneſtatus, cum ad annum MCCCCLXXI. ſumma humanitate, et juſtitia ſubditos gubernaſſet, fato raptus Herculi fratri imperium reliquit, ſub quo argenteus nummus cuſus eſt. Repræſentat hic in anteriori fronte fabuloſi Herculis cum Antheo luctam addita inſcriptione HERCVLIS DVCIS MVNVS: in poſteriori Sanctum Geminianum urbis Epiſcopum, ac Protectorem in cathedra ſedentem, elevata dextera ad benedicendum, ſiniſtra paſtoralem virgam ſuſtinentem, verbis in gyrum poſitis S. GEMINIAN*us* MVTINENS*is* EP*iſcopus*; inferius urbis Inſigne. I.

In prima ſecundi argentei nummi facie exhibetur juvenilis Alphonſi filii facies, qui Patri in dominatu ſucceſſit anno MDV; legitur enim in ejus circulo ALFONSVS DVX MVTINAE III. In adverſa Sanctus Protector ſedens ſub epigraphe S. II.

(1) Inter cæteras ea maximè recenſenda ad Zapolinum habita anno MCCCXXV; etenim Mutinenſes una cum hoſtibus Bononiam ingreſſi cum ad ſuos reverterentur ligneam ſitulam ſecum aſportarunt, eamque ſummo cum triumpho Mutinam delatam in fundo majoris Templi turris, quo in loco etiamnum viſitur, collocarunt.

Digitized by Google

GEMINI*anus* MVT*inæ* PONT*ifex*. Ex juvenili Principis vultu argui poteſt nummi cuſionem non ultra annum MDX. contigiſſe; etenim hoc eodem anno Julius II. in Alphonſum iratus, miſſo Urbinatium Duce, qui ſummo cum imperio Pontificiis armis præerat, Mutinam adnitentibus Civibus in Eccleſiæ poteſtatem redegit, ſtetitque, ut infra dicemus, ad annum MDXXVII.

In tertio aureo ſummæ raritatis nummo viſitur Adriani VI.
III. caput cum ejus nomine in orbe exarato. In adverſa Sanctus Geminianus ſedens cum ſolita inſcriptione. Leone X. Kal. Decembris MDXXI. e vivis ſublato, Cardinales in comitiis habitis, cum ſtudiis diviſi neminem ex Collegio approbarent, tandem V. Idus Januarii anni ſubſequentis in Cardinalem Adrianum Florentium Ultrajectinum in Hiſpania commorantem convenère, qui retento proprio nomine Adrianus VI. appellatus eſt.

Argenteus quartus exponit ſenilem antedicti Alphonſi ima-
IV. ginem, et verba ALFONSVS DVX FERRARIAE III. In poſtica inſculpſit Artifex Sancti Antiſtitis miraculum in puero perpatratum, qui ex Cathedralis turri incautus præcipitans, Geminiani nomine invocato, ex tanto periculo illæſus evaſit. Adriano VIII. Kal. Octobris functo, Clemens VII. in ejus locum ſubrogatur, quo imperante, cum a Cæſareis armis pridie Nonas Majas MDXXVII. fuiſſet Roma occupata, fœdeque depopulata, et ipſe Pontifex in arce S. Angeli, ad quam ſe receperat, obſeſſus detineretur; Alphonſus undique collectis turmis Mutinam properavit, et Pontificium Præſidium aliò abire coegit: et ſic Urbs ad Eſtenſes faſces rediit, ſub quibus ad hanc uſque diem optimis conſtituta legibus placidè conquieſcit, imperio hodie ſuſtinente Franciſco III. bellicis rebus ſummoperè addicto, qui nullis parcens expenſis Mutinam nunc quidem temporis Civium, et incolarum nobilitate celebrem renovavit, conſpicuamque reddidit; dilatatis enim, aut directis, apertiſve viis, illam maximè, quæ a Bononienſi ad Regienſem Portam ducit, magnificentiſſimis auxit ædificiis, inter quæ merito recenſenda Armamentarium, Valetudinarium, et Noſocomium planè regium, redditibus pro alendis millibus et amplius pauperibus aſſignatis. Ob tot ergo, tantaque Principis geſta, ac merita Senatus, Populuſque Mutinenſis ad ejus perennandam memoriam

mar-

Digitized by Google

TAB. XII P.59

MVTINÆ

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

marmoream equeſtrem Statuam prope Portam S. Auguſtini erexerunt, et conſecrarunt anno MDCCLXXIV.

Quintus aureus nummus ea tempeſtate vulgi ſermone *Scudo d' oro dal Sole* nuncupatus (1) ſub Hercule II., qui Alphonſo patri in dominatu ſucceſſit anno MDXXXIV., cuſus eſt, per- V.

(1) Aureum hoc Scutum 744. argenti granis (ut videre eſt apud Bellinium in Diſſertatione cum titulo = *Dell' antica Lira Ferrareſe di Marcheſini* = pag. 119.) in pretio correſpondens, Herculis temporibus, et maximè anno MDL., quatuor tantum Libris æquipollebat; et ideo Mutinenſis Libra tunc temporis conficiebatur ex granis argenti 186., quæ habita ratione ad monetas Clementis XI., ut citatus Auctor oſtendit pag. 36., expenderetur pro trigintaquatuor noſtris Obolis, et Denariis octo, ſive tribus hodiernis venetis Libris, novem Solidis, et quatuor Parvulis. Anno verò MDLXXIV. novimus *Marcellum* venetum, cujus pondus ad lancem venetam, qua ſemper utimur, examinatum grana 63. non exſuperat, fuiſſe pro Solidis ſeptem, et Denariis novem Mutinæ taxatum, ex quo evincitur in Libra grana 162. argenti extitiſſe pro Obolis triginta, et tribus Denariis computata. Didicimus quoque ſub initium Sæculi XVII. argenteam Florentinam monetam vulgo *Ducatone*, cujus pondus grana 630. argenti æquabat, quinque Librarum, et Solidorum quatuor valorem non exſuperaſſe; et ideo Mutinenſis Libra ſtabat cum Obolis 22. Den. 7.; cumque ipſemet nummus annis 1612 — 1637 — 1654 — expenderetur pro Libris 6 — Lib. 7. Sol. 18 — Lib. 9 — eruitur earum valores declinaſſe, redactaſque ad Obolos 19. 7 — 14. 9 — 13 — Cæterum ut brevi calamo in enuntiandis hujuſce Libræ diminutionibus me expediam, ſatis duxi erudire Lectorem argenteum Mediolanenſem nummum *Filippo* nuncupatum, cujus pretium hodie quindecim Libras non excedit, annis 1672 — 1683 — 1693 — 1711 — 1720 — cum Libris 7. Sol. 5 — Lib. 10. 10 — Lib. 11. 10 — Lib. 12. 10 — Lib. 14. 6 — fuiſſe commutatum. Utque aliquid de antiquioribus hujuſce Libræ valoribus referamus, ſciendum aureum Ducatum Venetum vulgo *Zecchino*, qui hodie pro Libris triginta expenditur, anno MCCCCXX. cum duabus tantum Libris conveniſſe, quæ quidem moneta cum ea tempeſtate cum granis 782 — argenti commutaretur, hinc fit quod in qualibet Libra 391. grana argenti numerarentur, quorum valor ad tres et ſeptuaginta noſtros Obolos duobus Denariis minus aſcenderet. Hanc porro Libram ſucceſſu temporis ab hacce exiſtimatione excidiſſe comperimus; invenimus enim eamdem auream monetam annis 1470 — 1501 — 1526 — cum Lib. 2. Sol. 17 — Lib. 3. 10 — Lib. 3. 16 — ſtetiſſe, ac per conſequens Obolos 54. 1 — 41. 6 — 38. 2 — æquaſſe.

Digitized by Google

hibetque in anteriori facie Crucem eleganter efformatam, hiſce verbis in gyrum poſitis HERCVLES II. DVX MVTINAE IIII. In averſa medium tenet Sanctus Geminianus in cathedra ſedens, et per circulum GEMINIANVS MVTINENSIS PONT*ifex*.

VI. Bini ſubſequentes ex eodem metallo conflati in omnibus conſonant cum antecedenti, ſi anticarum partium inſcriptiones excipias; in uno enim legitur HERCVLES II. DVX FERRA-
VII. RIAE IIII. In altero HER. II. MVT. REG. DVX IIII. CARNVTVM I. C. Duxit Hercules in uxorem Renatam ex Ludovico XII. Francorum Rege natam, et dotis nomine Carnutes reportavit.

VIII. In octavo argenteo nummo inſculptus apparet Herculis vultus hiſce vocibus circumſeptus HERCVLES II. DVX FERRARIAE IIII. A tergo cernitur urbis ſtemma cum epigraphe MONETA COMVNITATIS MVTINE.

IX. Eadem Principis imagine ornatur nonus argenteus cum his literis in circuitu HERCVLES II. DVX MVTI*næ* IIII. Nova non indiget explicatione averſa pars, cum in omnibus ſit ſimilis antecedenti.

X. Nihil prohibere videtur, quominus argenteum, quem ultimo loco damus, nummum ſub hoc Duce fuiſſe obſignatum conjectemus. Demonſtrat hic in una facie Eſtenſium gentilitium ſcutum cum lemmate LAPSA ANCILIA COELO. In altera Sanctum Protectorem ſtantem, ad cujus pedes infula, et urbis ſtemma cum epigraphe circumducta S. GEMI*nianus* MVT*inæ* EP*iſcopus*. Geminianus in Mutinenſi vico, cui Gavellus nomen natus, ab adoleſcentia adeo ſanctè, integerrimèque vivere cœpit, litteris, et Religioni ſtudere, ut in ſummam omnium opinionem devenerit. Sacerdotio initiatus, et in eadem pia vivendi forma perſeverans tantam incuſſit Civibus admirationem, ut Mutinenſi Eccleſia ſuo viduata Paſtore, fuerit una voce in Epiſcopum falutatus. Hac in dignitate licèt invitus conſtitutus, muneri ſuo non defuit, et in omnibus Chriſtianæ pietatis operibus, quoad vixit, ſe exercuit. Meritis tandem plenus, et in effugandis ab obſeſſis Dæmonibus clarus anno CCCXLVI., vel poſtero pridie Kal. Februarii evolavit in Cœlum, quo ipſo die a Mutinenſi Eccleſia ejuſdem feſtum celebratur. Hujus ſacrum Antiſtitis corpus a veteri Baſilica, in qua per plura ſæcula conquieſce-

Digitized by Google

quieſcebat, injuria temporum deformata, ad novam a Mutinenſibus ſumptuoſiſſimo opere inchoatam anno MIC; ſed nondum completam (1) fuit a Dodone tunc Epiſcopo maxima cum pompa translatum pridie Kal. Majas MCVI. Huic ſolemnitati finitimi Præſules, et celebris Comitiſſa Mathildes adfuere; eodemque anno VIII. Idus Octobris Paſchalis II. Summus Pontifex Aram ſub qua ſacrum corpus reconditum conſecravit. Poſt Herculem fatis raptum V. Nonas Octobris MDLIX. ſceptrum tenuit Alphonſus II. major natu, cujus nummos, ne ab inſtituto noſtro recedamus, prætermiſimus.

NEAPOLIS, ET SICILIÆ.

IN æreo primo pauculo argento mixto nummo repræſentatur ex una parte Crux, literis in gyrum poſitis HE*nricus* IMPE- I.
RATOR. In poſticæ margine legitur C*onſtantia* IMPERATRIX poſitis in area ſiglis AP., nempe *Apulia*. Normanni armorum gloria illuſtres ex Galliis profecti maximas ſibi opes in Italia compararunt; etenim Græcis, et Saracenis expulſis, qui Romanæ Eccleſiæ Apuliam, Calabriam, et Campaniam eripuerant; eas Provincias ſibi vindicarunt. Verùm cum crebris incurſionibus ad Eccleſiaſticæ quoque Ditionis fines dilacerandos Roberto Guiſcardo Ductore ſe contuliſſent; Leo IX. tunc Pontifex juſta ira incenſus, Henrici III. Imperatoris impetratis auxiliis, in ipſos movit anno MLIII., conſertiſque in Apulia manibus, cum pugnæ ſucceſſus ejus votis infeliciter reſpondiſſet, Beneventum incolumis ſe ſe recepit. Anno verò MLIX. Nicolaus II. pacis magis, quam belli ſtudioſus cum parum in ſe roboris ad retundendos eorum conatus agnoſceret; ut Eccleſiæ rebus conſuleret, Roberto Apuliæ, Calabriæ, Siciliæque Ducatum, Ricardo verò ejus fratri Capuanum Principatum in feudum conceſſit. Cæterum progredientibus annis cum Normannorum res in dies creviſſent; Rogerius III. ex eadem ſtirpe procreatus Anacleti II. Antipapæ partibus adhærens, fuit ab ipſo Regis titulo anno MCXXX. cohoneſtatus: quod cum Innocentius II. legitimus Pontifex ægrè fer-

(1) Abſoluta fuit anno MCLXXXIV. quo tempore fuit a Lucio III. Summo Pontifice IV. Idus Julii dedicata.

Digitized by Google

ferret; ut Ecclesiæ jura tueretur, in Rogerium MCXXXIX. duxit exercitum, eo tamen successu, ut Pontifex cum Cardinalibus captus eidem ad redimendam libertatem Regiam dignitatem confirmare coactus fuerit. Rogerio MCLIV. e vivis sublato; Guilelmus ob ejus scelera *Malus* appellatus sedem Patris occupavit, et hunc MCLXVI. functum Guilelmus filius cognomento *Bonus* excepit, qui immatura morte præventus XVI. Kal. Decembris MCLXXXIX. cum nulla ei soboles supereſſet, Constantiæ ejus consobrinæ sub initium MCLXXXVI. Henrico Friderici Imperatoris filio nuptæ Regnum reliquit: maximo herclè Siculorum moerore, qui Germanorum imperium execrantes, Tancredum Rogerii Ducis Apuliæ ex contubernio filium sub initium MCXC. in Regem unxerunt. Interea Henricus Siculum Regnum uxoris nomine repetiturus, in Italiam cum Constantia delapsus Romam properavit, ibique a Celestino III. XVII. Kal. Majas MCXCI. Imperator una cum Conjuge coronatus est. Ad obsidendum inde Neapolim transgressus cum ob aeris intemperiem ægrotare cœpisset, Italia relicta, cum paucis in Germaniam reversus est. Varia deinde prælia inter Cæsarianos, et Siculos ad initium usque anni MCXCIV. gesta, quo Tancredus lento morbo consumptus fato cessit, Guilelmo filio sub Sibillæ matris tutela Regni hærede relicto. Quod ubi ad Imperatorem delatum, omnibus, quæ ad maximum gerendum bellum comparatis, Junio mense in Italiam descendit; occupatoque Neapoli, ac Salerno funditus everso, Messanam perrexit, ibique cum ei nunciatum Sibillam cum Guilelmo, et tribus filiabus in Panormitana Arce se recepisse, missis ad eam petendam Nunciis, cum Matre in deditione conventum, ut filius Princeps Tarenti, et Alexii renuntiaretur, qua conditione Henricus accepta, atque juramento confirmata, Panormi in Regem Siciliæ coronatus est. Verum sequenti anno perjurius Rex in Germaniam reversus Matrem, et Filios secum adductos perpetuo carceri demandavit, et Guilelmo virilia ad spem stirpis adimendam exemit. Anno verò MCXCVII. Henricus in Siciliam transgressus Messanæ gravi morbo correptus IV. Kal. Octobris, ut *Hovedenus*, et *Joannes de Ceccano* scripsere, e vivis abscessit, unico relicto filio Fridericus nomine, quem Constantia uxor MCXCIV. die Prothomartyri Stephano sacra Exii non ignobilis Piceni urbis peperera

rat. Ejus corpus Panormum delatum in majori Eccleſia tumulatur. Henrico itaque, et Conſtantia imperantibus nummus cuſus, et Siculum Regnum a Normannis ad Suevos translatum.

Secundus æreus nummus exhibet in anteriori fronte aquilam expanſis alis, hiſce circumcinctam characteribus F. ROM. II. IPR. SEP. AVG. *Fridericus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus*. In poſteriori Crucem cum lemmate R. IERSL. ET SICIL. *Rex Jeruſalem, et Siciliæ*.

In area ærei tertii inſculpta apparet litera F. tribus ſtellulis ſuperius, et ad ejus latera diſpoſitis, ſubſequentibus in orbe III. vocibus RO. IMPERATOR; hoc eſt *Fridericus Romanorum Imperator*. A tergo Crux cum quatuor ſtellulis in ejus angulis, addita inſcriptione, ut in antecedenti. Henrico ſublato Fridericus ſub Matris tutela ſceptrum tenuit, et hac poſtero anno e vivis erepta, Innocentius III. tunc Summus Pontifex Pueri, et Regni curam, uti Mater teſtamento edixerat, ſuſcepit; tantaque benevolentiæ ſigna in eum edidit, ut Othone Imperatore diris devoto, et ab Imperio in Concilio Romano depoſito, fuerit ipſe anno MCCXI. ab Electoribus in Romanorum Regem aſcitus, et poſt ejus mortem ab Honorio III. in Innocentii locum ſubrogato, una cum Conſtantia conjuge X. Kal. Decembris MCCXX. Romæ ſumma cum ſolemnitate Cæſarea corona inſignitus. Tanti porrò beneficii immemor a debita Romanæ Sedis reverentia adeo deflexit, et tantis crudelitatibus, libidinibuſque ſe fœdavit, ut ab Innocentio IV. in Conſtantienſi Concilio MCCXLV. meruerit exauctorari. Poſt hæc Fridericus multis concuſſus calamitatibus, Apuliam ſecedens Idibus Decembris MCCL. e mortali hac luce demigravit.

Quartus ex infimo argento compactus nummus oſtendit in area coronam cum hac inſcriptione RO. IHR. ET SICIL. RE. IV. *Robertus Jeruſalem, et Siciliæ Rex*. Inſcribitur Robertus Rex Jeruſalem, pro quo ſciendum, Fridericum II. Imperatorem ſecunda ducta uxore Jolen nomine ex Joanne Brennæ Comite, et Hieroſolymæ Rege nata, a Socero jus, quod in Regno Hieroſolymitano habebat, in dotem reportaſſe, et hinc Reges Neapolitani, et Siciliæ hæreditario jure Reges Hieroſolymitani dicti. A tergo Crucem has circumſcriptas literas interſecantem COM. E. P. VIN. ET F. *Comes Provinciæ, et Forcalquerii*. Rober-

bertus poſt Caroli II. patris obitum, quum grave pro Neapolitano Regno inter ſe, et Ludovicum Ungariæ Regem exortum eſſet diſſidium; ad Clementem V. Avenione conſidentem anno MCCCIX. ſe contulit, a quo in Regem Neapolis coronatus eſt, totiuſque Eccleſiaſticæ ditionis Rector in Italia deſignatus. Moritur Robertus anno MCCCXLIII. et in Regnum ſuccedit, ut ipſe edixerat, Joanna hujus nominis prima ex Carolo filio nata, ſub qua argenteus quintus nummus obſignatus eſt. Perhibet hic in prima fronte coronam hiſce circumſeptam characteribus I. IHR. ET SICIL. REG. *Joanna Jeruſalem, et Siciliæ Regina.* A tergo Crucem, et verba COMTISA PVICE. *Comitiſſa Provinciæ.* Fuit Joanna libidinibus ſummopere addicta, et non pauca iniquitatis exempla edidit; ideoque nil mirum, ſi turpiſſimam mortem, ut diximus in Aquilanis nummis pag. 8., oppetierit. Qui porro plura de hujuſce Reginæ geſtis ſcire deſiderat, adeat Diſſertationem editam anno MDCCLXVII. pag. 98.

V.

Sextus argenteus nummus ab iis proculdubio diſſimilis, quos Vergara, et Muratorius evulgavere, perhibet in anteriori parte Ferdinandi caput Regia corona redimitum, additis in gyrum verbis FERRANDVS *Dei Gratia Rex* SICILIE I*Eruſalem.* In poſteriori Sancti Michaelis imaginem, dextera crucem ſuſtinentis, et pedibus Draconem calcantis, cum lemmate IVSTA TVENDA. Hic nummus eo tempore cuſus, quo inter Ferdinandum, et Regni Proceres grave bellum gerebatur. Hiſce ergo in duas partes diſtractis, cum nonnulli Ferdinandum Alphonſi filium nothum ex Patris teſtamento fuiſſe in Neapolis Regem coronatum graviter paterentur; Joanne Andegavenſi in auxilium accito, cui Regnum, ut ipſi dictitabant, jure Renati patris a Joanna II. in filii locum cooptati, obveniebat, in novum Regem arma intulerunt: quam ob rem Ferdinandus vehementer incenſus, conflato exercitu, in Rebelles ad Sarnum caſtrametatos properavit. Pugnatum eſt Nonis Quintilis, nutante pugnæ initio hinc inde fortuna, ad extremum Regiæ copiæ deletæ, et in fugam verſæ. Acceptam cladem ulciſci Rex cupiens, majoribus quam antea delectibus habitis, poſtero anno ineunte vere Apuliam ſeceſſit, et primo impetu S. Angeli Oppidum in Montis Gargani ſummitate ſitum præſidiaria manu defenſum duriſſima oppugnatione adortus recepit; cumque pecunia pro ſolvendis

VI.

ſuo

ſuo exercitui ſtipendiis ſibi deeſſet, ſacra argentea donaria, quæ in præclara Sancti Michaelis Æde ſervabantur, ipſumque Sancti Archangeli argenteum ſimulacrum (1) in nummos conflavit, quos *Coronati dell' Angelo* voluit nominatos.

Ad eumdem Principem ſpectat ſeptimus argenteus nummus in antica parte Cruce inſignitus cum epigraphe FERDINAN- VII.
DVS. D. G. R. SICILIE IER. In averſa Regis caput inſpicitur hiſce verbis in orbe poſitis CORONATVS. QuiA LEGITIME CERTAVI.

In anteriori parte octavi aurei nummi viſuntur Hiſpaniarum Regis Inſignia, verbis in orbe poſitis IOANNA ET CA- VIII.
ROLVS. In poſteriori eminet Crux cum inſcriptione HISPANIARVM REGES SICILIE. Anno MD. die Divo Matthiæ Apoſtolo ſacra oritur Carolus ex Joanna Ferdinandi Catholici (2), et Elizabethæ Hiſpaniarum Regum filia, quæ anno MCCCCXCVI. fuerat Philippo Auſtriaco ex Maximiliano Imperatore nato deſponſata. Ferdinando, qui Conſalvi celeberrimi armorum Ducis virtute totum Neapolitanum Regnum ſui juris

(1) Fuit primùm hujuſce Archangeli ſimulacrum ex aureo illo vaſe concinnatum, in quo Carolus III. Neapolis Rex Caroli Dyrrachii Ducis filius fuerit ſacro lavacro aſperſus. Verùm cum Alphonſus Aragonenſis Siciliæ Rex ob bellum a Renato Andegavenſi ſibi inlatum gravi pecuniæ inopia ad alendum militem premeretur, in aureas monetas reduci fecit, *Alphonſinas* dictas, quarum unam grana CV. in pondere non excedentem in Ferrarienſi Muſeo ſervatam evulgavi in Diſſertatione ſuperius enuntiata ſub num. XI. At ubi Alphonſus Neapolitanum Regnum ſolus obtinuit ſacram illam imaginem ex argento compactam unde ablata fuerat repoſuit, et a Ferdinando, ut diximus, in monetas conflata. Hoc autem pro certo habemus ademptum argentum Pio loco Ferdinandum reſtituiſſe, ſimulacrum verò haudquaquam refeciſſe, quod poſtea Ferdinandus *Catholici* cognomine inſignitus, ut firmius impoſterum, atque ſecurius eo in Templo conſiſteret, marmoreum reddidit.

(2) Mauris ex Granatenſi Regno ab Ferdinandi, et Elizabethæ uxoris armis expulſis anno MCCCCXCII., ambo ab Alexandro VI. Summo Pontifice *Catholicorum* cognomine condecorati ſunt. Ei bello Elizabetha maximo cum elegantium Virginum comitatu, quamplurimique ſpectatæ nobilitatis juvenes amaſiarum vultus proximè contemplaturi adfuere, qui ad amorem ſibi conciliandum non pauca virtutis ſigna edidere.

Digitized by Google

fecerat, absque virili prole functo MDXVI. omnia Regna Hispaniarum, Indiarum, Neapolis, Siciliæ &c. hæreditario jure ad Joannam obvenere, quæ secundo regiminis anno cum se impotem propter corporis, ac mentis imbecillitatem ad tantam molem sustinendam cerneret, Carolo filio e Belgio in Hispaniam evocato in ejus manus habenas dimisit, eo tamen inter cætera in renuntiatione indito pacto, ut Matris, et Filii nominibus monetæ inscriberentur, a quo brevi recessum.

Habet æreus nonus ex una parte Caroli V. Imperatoris caput laurea corona redimitum, et verba CAROLVS V. ROMa-
IX. *norum* IMperator: ex altera coronam circumscriptis literis REX ARAgoniæ VTRIVsque SICILIæ. Alios quatuor easdem imagines præferentes a diversa tamen matrice proditos in nostris scriniis servamus, quos lubentius omisimus.

Ejusdem Cæsaris protome extat in aureo postremo cum cir-
X. cumducta inscriptione CAROLVS IIIII. IMP. Alterius partis medium Principis Insignia tegunt, per gyrum autem Rex ARAGoniæ VTRIVSque subintellige *Siciliæ*. Carolus altissimæ indolis Princeps absque armorum strepitu, sed tantum nuptiarum ope tot, tantisque Regnis potitus cum maximo polleret ingenio, summa cum laude res cœpit moderari; et tantum nominis sibi comparavit, ut Maximiliano Imperatore pridie Idus Januarii MDXIX. e vivis sublato, fuerit Junio mense Francfordiæ Cæsar declaratus, et postero anno apud Aquisgranam Romanorum Regis diademate exornatus, dissidentibus nonnullis Germaniæ Principibus, qui summam Imperii Francisco Francorum Regi deferre nitebantur; et hinc inter Cæsarem, et Gallum contentiones, et rixæ exortæ, quæ per viginti, et amplius annos perdurarunt. Anno verò MDXXX. fuit ipse Carolus Imperiali corona Bononiæ insignitus, uti supra exposuimus pag. 18.

PAPIÆ.

In margine primi ex infimo argento conflati nummi hæc verba exarata perpenduntur FEdericus AVGVSTVS; et in ejus
I. medio insculpta apparet Crux. In area aversæ partis legitur PAPIA, et in circulo IMPERATOR. Ex characterum forma nummum ad Fridericum Ænobarbum spectare certo constat.

Hic

Digitized by Google

NEAPOLIS ET SICILIÆ





PAPIÆ



Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

Hic in Italiam veniens anno MCLIV., et postero ad oppugnandam Derthonam cum se contulisset; Papienses, suum ut studium Friderico probarent, auxiliares copias præbuerunt. Urbe tandem post multas contentiones direpta, et igne deformata, Cæsar officioso Populo rem gratam facturus Papiam triumphans ingressus est; utque Cives in fide detineret, eximia Privilegia eis concessit.

Argenteus secundus præfert Crucem, et verba FILIPVS MARIA. In aversa parte aream occupant Principis insignia cum II.
literis in limbo COMES PAPIE 3. C. Joannes Galearius morti proximus, ne Joannes Maria, et Philippus Maria filii de imperio inter se disceptarent, suas unicuique portiones testamento assignavit. Inter cæteras urbes, quæ Philippo Mariæ obvenere, Papia fuit, in qua sedem fixit, et nummos cusit.

PARMÆ.

Viguisse sæculo undecimo penes Parmenses facultatem signandi monetas ex argentea Conradi I. Imperatoris nomine inscripta a clarissimo Muratorio evulgata sub num. 1. erudimur. Eas porro, quæ Philippi, et Othonis Italiæ Regum temporibus ex hac Zecca prodiere, jam dedimus in nostro Tractatu *Delle Monete di Ferrara* pag. 16. Restat modo, ut illam sub Friderico II. Imperatore cusam enunciatis duabus omnino similem sub tuis oculis subjiciamus. Est hæc ærea argento mixta, (1) per- I.

(1) Moneta hæc illo ævo *Denarius* vocitabatur, quorum duodecim Solidum, et 240 = Parmensem Libram constituebant. Jam diximus in nostro Tractatu = *Delle Monete di Ferrara* = pag. 17. Parmensem Libram anno 1252. cum Ferrariensi in pretio convenisse, quæ quidem Libra eum eo anno expenderetur pro Juliis 14. Obolis 7., et Denariis 7. $\frac{1}{2}$ nostræ hodiernæ monetæ, sive pro Libris 14. hujus temporis venetis, Solidis 15., et sex parvulis; hinc fit Parmensem quoque Libram eamdem existimationem subiisse. Hanc porro Libram ad nostræ exemplum ab hac existimatione progressu temporis declinasse, ex indubiis documentis didicimus; invenimus enim aureum Ducatum venetum vulgo *Zecchino* anno 1375. cum una Libra, et duodecim Solidis fuisse Parmæ commutatum, quo tempore cum ipse aureus

hibetque in ejus limbo has literas FREDRIC., et in area IP., hoc eſt *Fridericus Imperator*. Oſtendit poſtica typum cujuſdam ædificii turriti, et hanc vocem PARMA.

II. Damus ſecundo loco ex optimo argento conflatum nummum injuria temporum aliquantulum corroſum, ex cujus ſuperſtitibus characteribus ex hac Zecca prodiiſſe evincitur manifeſte; ibi enim in prima fronte occurrit aquila expanſis alis hiſce literis circumſepta CIVITA..... A tergo eminet Crux totam aream interſecans, in cujus angulis urbis nomen PARME. Parmam poſt Fridericum variam Dominorum mutationem ſubiiſſe hiſtoriarum Scriptores perhibuere; didicimus enim aliquando ſub Scaligeris, Eſtenſibus, Vicecomitibus, et Sfortiis Mediolani Ducibus ſtetiſſe. Paruit quoque Ludovico XII. Francorum Regi, qui expulſo anno MID. e Mediolanenſi Ducatu Ludovico Sfortia, totam ejus Ditionem invaſit, tenuitque ad annum MDXII., quo Maximilianus ejuſdem Sfortiæ major natu ab Julii II. Summi Pontificis armis in Principatum reſtitutus eſt; ea tamen inter Pontificem, et Sfortiam inita prius conventione, ut ſi in paternum ſolium ipſe conſcenderet, Parma, et Placentia in jus Eccleſiæ devenirent. Re ex voto ſucceſſa, urbes eodem anno ſub poteſtate Eccleſiæ eſſe cœpere, et qui poſt Julium ad Pontificatum evecti ſuos nummos iis in urbibus cuſere.

III. Argenteus tertius præfert in anteriori parte mulieris gradientis imaginem dextera lanceam, ſiniſtra ſcutum ſuſtinentis cum lemmate in circuitu ECCE FIDES., inferius PARMA: in poſteriori Deiparæ ſedentis effigiem puerum Jeſum in gremio complectentis, verbis in gyrum poſitis SVB TVVM PRAESIDIVM; in

---

aureus nummus 782. granis argenti æquipolleret, ſubducto calculo comperimus in qualibet Libra 489. argenti grana extitiſſe, quorum valor ad Obolos 91. Den. 1., ſive ad novem venetas Libras, Solidos duos, et totidem Parvulos aſcenderet. Novimus quoque hujuſce aureæ monetæ exiſtimationem anno 1401 — ad Solidos 35., et 1410 — ad Solidos 38. aſcendiſſe; et annis 1423 — 1426 — 1446 — pro Libris 2. Sol. 12. $\frac{1}{2}$ — Lib. 2. 17 — Lib. 3. 3 — fuiſſe computatam: ex quibus manifeſte evincitur Parmenſem Libram in enunciatis annis cum Obolis 83. 4 — 76. 10 — 55. 4 — 50. 11 — 46. 2 — in pretio conveniſſe.

Digitized by Google

in exergo binæ claves in decuſſim trajectæ. Hunc ſub Clemente VII. cuſum facio, cum alter, et inter Parmenſes, ferme ſimilis fuerit a Benedicto Floravante evulgatus ſub num. XVII.

In aureo quarto exhibetur figura militaris ſedens dextera victoriolam ſuſtinens, inferius PARMA: verba in ejus orbe exarata hæc ſonant SVB VMBRA MATRIS ECCLESIE. Præfert poſtica Paulli III. Summi Pontificis gentilitium ſcutum, addita in limbo inſcriptione PAVLVS III. PONT. MAX. IV.

Ejuſdem Pontificis ſtemma cum ſuo nomine in circuitu inſpicitur pariter in quinto ex infimo argento conflato nummo. Averſa facies Cruce inſignitur, in cujus angulis urbis nomen PARMA, et in ejus margine legitur HAEC QVAE ATTVLIT SALVTEM. V.

Æreus ſextus pauculo argento mixtus demonſtrat in anteriori fronte teſſerarium Farneſiæ gentis ſcutum cum literis circumſcriptis P. LOY. F. DVX P. Z. P. *Petrus Aloyſius Farneſius Dux Parmæ, et Placentiæ*. In poſteriori Crucem affabrè elaboratam, et per gyrum NOVARIAE MARCHIO I. Inceſſerat annus MDXLV. cum Paullus III. altiora pro Aloyſii filii imperio meditatus Parmam, et Placentiam, Nepete et Camerino in commutationem Eccleſiæ redditis, ipſi, ejuſque deſcendentibus in Feudum aſſignavit; ea porro in Bulla (1) appoſita conditione, ut ipſe, et ſucceſſores novem millium Ducatorum auri de camera cenſum Sedi Apoſtolicæ ſingulis annis perſolverent. Farneſius itaque in Ducatus poſſeſſione confirmatus plebejos animos ſibi devincire, et quot in ejus Ditione potentiæ famam obtinebant deprimere, atque exinanire ſtuduit. Ea infelix, et miſera conditio rerum cum eſſet; nonnulli Proceres, Auguſtino Lando auctore, ut ſe a tot, tantiſque malis eximerent, hanc peſtem e medio tollere decrevere. Inito ergo cum Ferdinando Gonzaga Inſubrium Cæſareo Præfecto, et infenſiſſimo Aloyſii hoſte (2) conſilio, conſtitutóque ad tantam rem VI.

per-

(1) Bullam, quæ incipit *In ſupereminenti Apoſtolicæ Sedis ſpecula*, datam Romæ VII. Kal. Septembris MDXLV. evulgavit Joannes Chriſtianus Lunig in Codice Italiæ Diplomatico Tom. II. Col. 1489.

(2) Hujus odii cauſſam fuiſſe ferebatur, quod Farneſius Ferdinandi oppidum nullo habito reſpectu occupaverit, dirueritque. Acceſſerant quo-

peragendam modo, Tyrannus IV. Idus Septembris in Placentina arce multis confossus vulneribus trucidatur, et cadaver ad vulgi ludibrium in viam projiciunt: et hunc finem parem vitæ habuit Aloysius nefandæ homo libidinis, ac intolerandæ immanitatis, qui cuncta asperius, ferociusque gerens, metu, quam benevolentia subditorum animos sibi conciliare præsumebat. Re feliciter peracta, Conjurati majoribus tormentis perpatrati facinoris, uti convenerant, signo dato, quingenti Pedites Cremona Placentiam accessere, et ipse Gonzaga postera die multo succintus milite in urbem ingressus Cæsareo Præsidio arcem communivit, fidelitatisque sacramentum a Civibus exegit. Ferdinandus Placentia potitus S. Doninum, aliaque ejusdem agri oppida, nulla interjecta mora occupavit, et Parmensium quoque animos, sed frustra, tentavit; suam enim ipsi fidem communi consensu, Aloysii morte intellecta, Octavio ejus filio obstrinxerant, neque ab ea declinare decreverant.

VII. In septimo argenteo eminet Sancti Thomæ urbis Compatroni imago pectore tenus verbis in limbo positis SANCTVS THOMAS. In opposita ejus parte insculpta apparet Ara, super quam flammarum globus cum lemmate PARMENSES SERVATI. Paullus, qui tunc temporis Perusiæ morabatur, accepto de Filii morte nuncio, ad retundendas hostium insidias, et Parmenses in fide detinendos, subitariis coactis copiis, Octavio nepote, et Alexandro Vitellio Ducibus Parmam immisit, temporariasque inducias cum Ferdinando est pactus; eoque tempore, ut censeo, nummum in Pontificis obsequium Parmenses cusere.

VIII. Habes in octavo argenteo Octavii Farnesii caput hisce vocibus circumseptum OCTAV. F. P. ET. PL. DVX. II. In postica insculptus apparet Jesus Christus Redemptor noster coronam imponens Beatæ Mariæ Virgini Matri suæ cum Spiritu Sancto in formam columbæ in aerem absque ulla inscriptione.

Ejus-

quoque Andreæ ab Auria impulsiones, ac preces, cujus nepos, Jannettinus nomine, fuerat sub initium ejusdem anni in Fliscorum conspiratione Januæ trucidatus; noverat enim Doria Ludovicum, et fratres ejus conjurationis auctores in Farnesii Ditione, ipso sciente, et non contradicente, milites ad tantum scelus perpetrandum conscripsisse, quæ res tanto magis Aloysii necem accelleravit.

Digitized by Google

Ejusdem Principis imago cum ejus nomine in circuitu inspicitur pariter in nono ex eodem metallo conflato: præfert postica urbis stemma, Bovem nempe, et inscriptionem INTER LILIA., additis in imo PAR*ma*., et siglis L. S. monetarii forsan nomen, et cognomen indicantibus. IX.

In decimo argenteo insculpta apparent Ducis insignia, verbis in limbo positis OCT. FAR. PAR. ET PLA. DVX. II. Insignitur postica Sancti Hilarii urbis Episcopi, ac Protectoris imagine dextra pastoralem virgam sustinentis, cum epigraphe S. HILARIVS PARME PROTE*ctor*. X.

Exhibet undecimus æreus argento mixtus ex una parte Principis stemma, ex altera Sancti Protectoris imaginem pectore tenus cum ejus nomine in circulo exarato. XI.

Duodecimus ex eodem metallo conflatus ostendit in prima facie Farnesiæ gentis insignia: in aversa Sancti Thomæ urbis Compatroni effigiem cum inscriptione S. THOME PAR. PROTE. XII.

Antica pars decimitertii ærei nummi similis est antecedenti. In postica vero cernitur bos cum epigraphe, ut in IX.. Paullus excelsæ mentis Pontifex Octavio nepote X. Kal. Februarii MDXLVIII. in publico Consistorio Parmæ, et Placentiæ Ducis titulo condecorato, nihil apud Cæsarem intentatum reliquit, ut Placentia Ecclesiæ restitueretur; at nulla ad exitum spes venit; Carolus enim, qui et ipse Parmæ inhiabat, Pontifici verba dabat: quod cum Paullus ægre ferret, Parmam Ecclesiæ restituere, et Camerinum nepoti tradere, concurrentibus Purpuratorum votis, consilium cœpit, evocatoque Romam Octavio, Camillum Ursinum spectatæ prudentiæ, ac fidelitatis virum Parmæ præfecit, ut illam Ecclesiæ nomine detineret. Quod ubi cognovit Octavius, vita potius quam Principatu exui nihil præclarius ducens, inscio Patruo, citato itinere Parmam contendit: cæterum cum Ursini ne ita quidem animum flectere, ejusque expugnare constantiam posset, ira furens Cardinali Farnesio fratri per litteras enunciavit, nisi Patruus a sententia deflecteret se cum Gonzaga fœdus initurum, externisque armis Parmam recuperaturum. Hoc ut Pontifex sensit, nimio tactus dolore in morbum incidit, quo ingravescente, paucos post dies inter mortales esse desiit. Comitiis de novo creando Pontifice habitis, XIII.

inter

inter Purpuratos conventum, ut quiſquis in Paulli locum ſuccederet, ne gravi Eccleſia bello implicaretur, Farneſium ſtatim in Parmæ poſſeſſionem immitteret. Joannes Cardinalis de Monte cum nomine Julii III. VIII. Idus Februarii MDL. in Pontificem renunciatus, vigeſima quarta ejuſdem menſis die Parmam Octavio reſtituit, qui cum Cæſaris animum fruſtra tentaſſet, in Henrici Francorum Regis clientelam ſtudio Horatii fratris ſui Dianæ ejuſdem Regis filiæ nothæ matrimonio junĉti, ſe contulit, et Parmæ Gallicum Præſidium impoſuit. Quam ob rem graviter commotus Julius minacibus litteris Octavio mandavit, ut Regiis expulſis militibus, Pontificiis adminiſtris urbem dimitteret: quod cum exequi renuiſſet, ei jam diris devoto Principatum abrogavit, et Cæſare ſibi in armorum ſocietatem devinĉto novem peditum millia, et ſexcentos equites, quibus ſummo cum imperio Joannes Baptiſta de Monte fratris filius præerat in agrum Mirandulanum immiſit: quo tempore a Cæſareis armis Parma gravi obſidione premebatur, et Octavius, qui intus erat, quantis poterat munitionibus, militumque robore ſe ad reſiſtendum parabat. Variæ inde velitationes inter belligerantes geſtæ; venerat enim obſeſſis auxilio Petrus Strotius armorum peritia celebris cum quatuor millibus, et quingentis Gallis, qui crebris excurſionibus obſeſſores fatigabant, neque ullus fermè intermiſſus dies, quo non fuerit decertatum. Interea Pontifex adverſo rerum ſucceſſu, et maxime Nepotis fato preſſi, qui in quodam tumultuario ad Mirandulam conflictu perierat, ad ſtudia pacis, Purpuratis præcipue ſuadentibus, ſe convertit, et ad componendos bellatorum animos totum ſe dedit; quos cum poſt longas diſceptationes conciliare non poſſet, induciæ tandem in biennium, quibus acquievit et Cæſar, ſanctæ ſunt, conditioneſque III. Kal. Majas MDLIII. Romæ firmatæ, quo tempore tam maximum diſcordiarum incendium extinctum, et Octavius in pacifica Parmæ poſſeſſione, uti convenerant, firmatus.

Decimus quartus argenteus demonſtrat in anteriori parte
XIV. Octavii caput, in poſteriori ſtemma; deſignaturque tempus, quo nummus percuſſus, anno nempe 1556. Hoc eodem anno Carolus V. Imperii curam, et Regni pertæſus, illud Ferdinando fratri, hoc Philippo adſignavit, et vitam poſthac pacificam in Mo-

Digitized by Google

TAB. XIV

PARMÆ

I



II



III

IV

V



VI



VII

VIII

IX

X



XI

XII



XIII

XIV

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

Monaſterio S. Juſti tranſegit, ibique XI. Kal. Octobris MDLVIII. e mortali hac luce demigravit. Philippus itaque, cui nulla cordi voluptas, quam Octavio leviro pacis dandæ, honeſtis pactis cum eo conditionibus, in Placentiæ poſſeſſionem XVII. Kal. Octobris MDLVI. immiſit. Poſtero verò pridie Kal. Septembris Margareta (1) uxor Placentiam ingreditur, cujus adventu lætitia ingenti celebrati feſti dies, nec ullum hilaritatis, ludorumque genus omiſſum. Et hic de Parmenſibus nummis ſatis. Cæteros autem argenteos, æreoſque hujuſce Principis nomine condecoratos, ne ſim tædio Lectori, libentius prætermitto.

PERUSIÆ.

NOnnullas in aliis Diſſertationibus Peruſinas monetas ſicco ferme calamo evulgavimus; copioſiori vero in hacce pro viribus differemus, ut urbis initia, geſta, viciſſitudineſque magis magiſque innoteſcant. Peruſiam inter duodecim principes Etruriæ urbes recenſitam ante romana tempora ab Umbris fuiſſe conditam, mox a Pelaſgis, inde Thuſcis habitatam, veteres Scriptores prodidere. Excrevit inde viribus, et belli fama, eaque in ſorte manſit ad Conſulatum uſque Lucii Antonii Marci fratris; quo tempore Octavianus Auguſtus Marco Lepido ſuperato, in Conſulem, qui cum hoſte ſentiebat, et Peruſiam confugerat, movit, urbemque gravi fame preſſam ad deditionem compulit. Conſule incolumi dimiſſo, urbeque inſcio victore diruta, igneque conſumpta; hanc non multo poſt voluit ipſe ædifi-

(1) Erat Margareta Caroli V. Imperatoris filia, quam ipſe quadriennio ante matrimonium ex Margareta Vangeſta Belgicæ nobilitatis virgine ſuſceperat. Hæc pubes vix facta fuit Alexandro Mediceo Clementis VII. nepoti, quem Cæſar primum Florentiæ Ducem conſtituerat, deſponſata. Eo autem a Laurentio propinquo ſuo per noctem in ſecreto loco interfecto, Pater, poſthabito Coſmo Mediceo Florentiæ Duce, a quo enixe petebatur, Octavio Farneſio quindecim annos nato in matrimonium tradidit, nuptiæque regio ſumptu, apparatuque Romæ celebratæ. Cæterum Margareta eruditi ingenii, et virilis animi mulier a Philippo fratre Hiſpaniarum Rege anno MDLIX. Belgii moderatrix conſtituta, eo in munere adeo prudenter ſe geſſit, ut aliud nullum præter ejus imperium a populis exoptaretur.

Digitized by Google

dificatam, deque ſuo nomine Peruſiam *Auguſtam* appellatam. Sub Imperatorum auſpiciis reflorere inde cœpit, eorumque paruit legibus, donec a Totila Gothorum Rege poſt ſeptimum obſidionis annum capta, atque incendio deformata, maxima clade Cives affecti ſunt. Ab Narſethe dein Juſtiniani Imperatoris Duce reſtaurata, et eo functo a Longobardis occupata, ſub eorum ingemuit jugo, donec Carolus Magnus, Deſiderio ultimo Longobardorum Rege exturbato, Peruſiam ſui juris fecit, quam poſtea Ludovicus filius cum aliquibus Hetruriæ locis anno DCCCXVII. Paſchali tunc Summo Pontifici, ejuſque ſucceſſoribus libere conceſſit, ſub quibus varias defectiones Peruſini moliti ſunt; inter quas ea maxime recenſenda ſub anno MCCCLXXV; quo Cives Eccleſiæ Præſidum pertæſi ſuperbiam, bona Præſidii parte gladio preſſa, reliquos, qui in arcem confugerant, et poſt aliquot menſes ſe dediderunt, ſine injuria dimiſere. Parta libertate, coortiſque anno MCCCXCII. inter Optimates, et plebem diſſidiis, ſimultatibuſque; cum tandem popularium prævaluiſſent vires, Proceres exilio mulctati humanarum rerum exempla præbuerunt. Urbanarum inde rerum cura Biordo concivi ſuo fuit demandata, quo tempore, ut ex Pellino (1) argui poteſt, ſubſequentes nummi ſemigothico conſcripti charactere obſignati ſunt.

Oſtendit primus ex optimo argento conflatus in anteriori
I. ejus facie literam P. urbis nominis initialem, et in ejus margine ſic legitur DE PERVSIA. In poſteriori Crucem urbis Protectoris nomine circumſeptam S. ERCVLANVS.

Ipſa quoque litera P. cum quatuor punctis ſuperius, ad la-
II. tera, et inferius diſpoſitis inſpicitur pariter in ſecundo ex infimo argento compacto nummo cum epigraphe, ut in præcedenti. Ejus averſa pars inſignitur Cruce cum duobus punctis in ejus angulis, et literis in circuitu S. ERCVLANVS.

Huic adjungo tertium ex eodem metallo in omnibus fer-
III. me ſimilem: in characteribus vero, et inſcriptione quædam mutatio apparet; etenim litera P. caret punctis, et nomen Sancti Protectoris ab angulis Crucis ſic interſecatur S. E. RCV. LA. NV.

Æreus

(1) Part. 2. pag. 71.

Digitized by Google

Æreus quartus argento mixtus demonſtrat in prima fronte unum P. cum duabus ſtellulis hinc inde diſpoſitis: in averſa Crucem cum quatuor aſteriſcis in ejus angulis, et ſolitas inſcriptiones. IV.

Eaſdem inſcriptiones intueor pariter tum in antica, cum in poſtica quinti ærei, a diverſa tamen matrice proditi, in angulis enim Crucis binæ tantum ſtellæ conſpiciuntur. V.

Sextus æreus minimæ formæ habet in antica literam P. cum duobus punctis ex ejus lateribus, et in limbo De PERVSIA. In poſtica Crucem, neque ibi deeſt S. ERCVLANVS. VI.

At, ut unde receſſimus revertamur; Biordo per proditionem ſublato anno MCCCXCVIII., Bonifacius IX. tunc Pontifex de recuperanda urbe cœpit meditari, atque ad eam oppugnandam Joannem fratrem cum multo milite immiſit. Tantam belli molem adverſus ſe comparatam Perufini conſpicientes, ſuis diffiſi viribus Joanni Galeatio Mediolani Duci, qui arte, et virtute nonnullas Italiæ urbes ſuo adjecerat imperio, grandi accepta pecunia, urbem vendidere, et Petro Semigerio ejus vicario XIII. Kal. Februarii MCCCC. tradidere: cujus facti indignatus Pontifex, miſſo Antonio Montecatino Ferrarienſi, ut cives ad ſaniora conſilia redigeret, cum perperam percelebris declamaſſet orator; eos diris devovit, urbemque Interdicto ſuppoſuit: quibus Perufini perculſi ad Eccleſiam reverſi eodem anno Kal. Novembris abſolutionem impetrarunt. Joanne Galeatio MCCCCII., et biennio poſt Bonifacio e vivis ſublatis; Ladislao Neapolis Regi, qui Romam MCCCCVIII. occupavit, nonnullæ Pontificiæ Ditionis urbes, inter quas Perufia, facile adhæſere. Eo verò functo MCCCCXIV., quo tempore diro ſchiſmate Eccleſia lacerabatur; Brachius (1) Fortebrachius Perufinus, qui ob res bellicas fortiter geſtas maximum ſibi nomen comparaverat, patriæ deſiderio captus una cum cæteris exulibus ad obſidendam urbem adoritur, profligatoque hoſtium exercitu, cujus cura Carolo Malateſtæ Arimini Regulo fuerat demandata, Brachius in præmium virtutis Princeps urbis anno MCCCCXVI. ſalutatus eſt. Is in imperio confirmatus cum proſperam ſuis votis, cœptiſque ſortem animadverteret, adeo regnandi libido ejus animum in-

(1) Qui plura de hoc celeberrimo armorum Duce ſcire deſiderat, adeat Joannem Antonium Campanum, qui uno Libro ejus geſta intexuit.

Digitized by Google

vaſit, ut nonnullis urbibus in ſuam poteſtatem redactis, Neapolitanum quoque Regnum ſibi perſuaſerat; ſed verſa fortunæ alea, dum Aquilam obſidet anno MCCCCXXIV., ſaucius in acie capitur, et tertium poſt diem ex vulneribus moritur. Poſt Brachii exceſſum Optimates, ut urbis dignitati, felicitatique conſulerent, una voce eodem anno IV. Kal. Sextilis Martinum V., qui depoſitis tribus Pſeudopontificibus, Benedicto ſcilicet XIII., Gregorio XII., et Joanne XXIII., fuerat in Conſtantienſi Concilio III. Idus Novembris MCCCCXVII. Pontifex renunciatus, inclamant, et mitiſſimo Eccleſiæ imperio ſe ſubduut.

Septimum, et octavum, æreum unum, argenteum alterum cum literis ad noſtram ſcribendi formam depictis Pellini, (1) teſtimonio fulti, ſæculo XV. cuſos facimus: æreum MCCCCLXXI., argenteum vero triennio poſt. In medio ærei inſpicitur Sancti Protectoris ſtantis imago cum ejus nomine in circuitu. Averſa pars Cruce inſignita eſt cum epigraphe circumducta AVGVSTA PE*ruſia* CIVITAS CHRISTI. Fuit, ut ſupra innuimus, hæc urbs *Auguſta* dicta ab Auguſto Cæſare, qui eam reædificavit. Verba autem Civitas Chriſti forſan annexa, quòd ſere uſque ab Apoſtolorum temporibus Chriſtianam Religionem profeſſa fuerit. In area argentei continetur litera P. cum duobus globulis ex ejus lateribus, et urbis nomine in limbo. In altera facie occurrit protome Divi Erculani pectore tenus cum inſcriptione S. ERCVLANVS. Peruſinis progreſſu temporis ab Eccleſia deſcitis, et in libertatem vindicatis, variæ inde ob urbis principatum diſſenſiones, et rixæ inter duas præclaras Familias, Oddos nempe, et Balionos inſurrexere, popularibus partim his, partim illis adhærentibus. Poſt varios deinde caſus Balionea prævalente factione, Oddi expulſi ſunt. Hi per plures annos cum exilii incommoda ſuſtuliſſent, collectis turmis, auxiliiſque ab Urbinate Duce reportatis VIII. Idus Junii MCCCCXCI. ſub noctis ſilentium Peruſiæ muris ſuperatis in forum concurrunt; at ubi cum adverſa factione ventum ad manus, et Oddi a ſuis fautoribus ſe illuſos agnoſcerent, confeſtim in fugam ſe vertunt, atque huc illuc diſcurrentes a perſequentibus ob-

VII.

VIII.

(1) Part. 2. pag. 709. et 739.

Digitized by Google

obtruncantur, et urbe expelluntur; centum et quinquaginta circiter capti, inter quos Fabricius, et Rodulphus Pontificiæ aulæ Præsules turmarum Duces, aut securi percussi, aut laqueo suspensi rei malè gestæ pœnam luere.

Nonus argenteus nummus a Floravante prætermissus præfert in antica sua parte tesserarium Mediceæ gentis scutum, et in ejus limbo hæ voces exaratæ perpenduntur LEO DECIMVS IX. PONtifex MAXIMus. In postica griphum salientem, urbis stemma, cum inscriptione AVGVSTA PERVSIA. Oddorum attritis rebus aliquandiu, prout fors tulit, Balioni urbis primatum tenuere ad annum usque MDXX; quo Joannes Paullus in armis celebris Petruccianæ conjurationis conscius, a Leone Romam evocatus capitis abscisione sublatus est.

In argenteo decimo inspicitur Paulli III. insigne, in Pontificem cooptati anno MDXXXIV. A tergo griphus, et lemma, ut in præcedenti. Vacante Sede Apostolica ob mortem Cle- X. mentis VII, Rodulphus Balionus, aura et ipse dominandi elatus, Kal. Octobris Perusia per insidias potitus summa inhumanitate in ministros Ecclesiæ insæviit; capti enim Episcopus Terracinæ urbis Prolegatus, ejus Auditores, Cancellarius, nonnullique Priores, et carceribus demandati, postera die vestibus denudati, et catenis vincti reorum more in forum perducti capite plexi sunt. Ea indignitate commotus Paullus Clementis successor postero anno ad retundendam Tyranni audaciam suas copias in Perusinum agrum immisit, quibus territus alio cum suis, urbe dimissa, se recepit. Urbe recuperata, Pontifex anno, qui insequutus maxima cum solemnitate in eam ingressus fidelitatis sacramentum a populo exegit, a quo brevi recessum; etenim quartum post annum Perusini haud suam obliti feritatem ob vectigal Salis eis impositum, sumptis armis, Pontificios administros expulerunt. Iis vero eodem anno a Paullo domitis, ad eorum imposterum compescendos insanos motus arcem excitari, et extrui curavit, et justo militum Præsidio, tormentorumque numero communivit; utque magis rebellium animos infringeret, omnibus Privilegiis ab antecessoribus Pontificibus impetratis exauctoravit, quibus inde supplicibus, ac veniam petentibus, a Julio III. successore restituta sunt.

PI-

Digitized by Google

PISARUM.

ÆReus primus nummus oſtendit in anteriori parte unum
I. P. hiſce vocibus circumſeptum PISANA CIVITAS: in poſteriori aquilam expanſis alis, et inſcriptionem FEDERICVs IMPERATOR. Piſani cum Friderici Ænobarbi partibus adhæſiſſent, et multo milite, ac navibus adjuvaſſent, ab ipſo jus cudendæ pecuniæ renovatum, et ampliſſimis privilegiis locupletati.

Eadem aquila cum Friderici nomine in circuitu inſpicitur
II. pariter in ſecundo æreo argento mixto nummo. In alterius partis medio eminet Beatæ Mariæ Virginis Piſarum Patronæ imago in cathedra ſedentis, puerulum Jeſum in ulnis complectentis cum græca inſcriptione MP. ΘΥ., nempe Μητήρ Θεὺ *Mater Dei*; inferius PISE

Argenteus tertius ejuſdem Deiparæ effigie inſignitur, additis in limbo verbis PTEGE VIRGO PI. *protege Virgo Piſas*. Præ-
III. fert poſtica aquilam, et Imperatoris nomen, ut in præcedentibus. Piſanis poſt partam de Saracenis ad Panormum victoriam anno MLXII. ſpoliis onuſtis ad patriam reverſis, inter eos conventum, ut ea in ædificationem templi ſub nomine B. M. Virginis in Cœlum Aſſumptæ, quam in Patronam elegerunt, converterentur. Jactis itaque eodem anno fundamentis, Baſilicam adeo admirabilem, magnificamque conſtruxerunt, ut pares quidem paucæ in Italia ſpectentur. Turrim quoque marmoream non longe excitatam, et ſumma arte elaboratam voluere. Hanc mirificus artifex inclinatam, et Gariſendæ Bononienſi ſimilem extruxit, ut inter Italiæ celebriores meruerit recenſeri.

Deiparæ protomen infantem Jeſum ſuſtinentis intueor pariter in quarto argenteo (1) cum circumducta epigraphe PRO-
IV. TEGE VIRGO PISAS. Exhibet poſtica Francorum Regum inſigne cum circumductis verbis KAROLVS REX PISANORV*m* LIB*erator*. Piſani priſcis temporibus terra, marique potentes ſæpius cum finitimis populis proſpere decertarunt, et nonnullas barbaras urbes, et aliquando Sardiniam ſuo imperio ſube-

(1) Differt hic ab evulgato a Muratorio ſub num. VIII. Etenim ille demonſtrat puerulum Jeſum in gremio Matris conſidentem; noſter autem ſtantem.

Digitized by Google

PERVSIÆ











PISARVM





Digitized by Google

Digitized by Google

ſubegerunt. Verùm cum nihil ſit ſub Sole perpetuum, et variæ ſint urbium, populorumque viciſſitudines; ſic Piſis arriſit fortuna, donec civiles diſcordiæ, ac inteſtina bella inter Magnates exorta fuerint; quo tempore a priſtina potentia Piſani declinarunt: afflictiſſimos caſus pati, et diverſorum Principum, quos alibi (1) enumeravimus, jugum ſubire adacti ſunt. Inter cæteros hìc tantum Florentini recenſendi, qui Piſis a Gabriele Maria Vicecomite anno MCCCCV. coemptis, dominatum tenuere ad MCCCCXCIV., quo Carolus VIII. Gallorum Rex Piſas V. Idus Novembris ingreſſus Cives in libertatem aſſeruit, a quibus in liberatoris ſui obſequium nummus cuſus eſt. Cæterum Piſani recuperata libertate haud diu uſi ſunt; etenim Florentini, Rege in Gallias regreſſo, ducto in agrum Piſanum exercitu; urbem arcta obſidione cinxerunt, et crebris aggreſſionibus fatigare cœperunt. At Cives in defendenda libertate adeo obdurati, ut obſidionem ad annum MDIX. pati non dubitaverint. Tandem tædio belli fracti, et ad extremam cibariorum inopiam redacti de ſua ſalute deſperantes, honeſtis conditionibus ab hoſte impetratis, in ejus poteſtatem VI. Idus Junii ſe tradidere.

PLACENTIÆ.

PIſanis nummis, alphabeticum ordinem proſequendo, Piſaurenſes ſuccedunt, de quibus plura dicturus eſſem, niſi clariſſimus vir Hannibal de Abatibus Oliverius de re litteraria benemeritus, ut editi ab eo libri teſtantur, in iis evulgandis, atque illuſtrandis eruditam Diſſertationem Bononiæ præcedenti anno typis datam intexuiſſet. Ne ergo in alienam ſegetem falcem immittam, Placentinos aggredior. Variæ poſt Romana tempora gentes hujuſce urbis dominatum tenuere ad annum uſque MDXII., quo per pactum initum inter Julium II., et Maximilianum Sfortiam, ut ſupra innuimus pag. 68., in Eccleſiæ poteſtatem devenit. Nonnullos ſub Hadriano VI., et Clemente VII. hacce in urbe ſignatos nummos a Floravante evulgatos perſpeximus; illos porro, qui Paulli III. temporibus procuſi ſunt

(1) Bellini Diſſert. 2. pag. 117., et ſequ.

Digitized by Google

I. ſunt, nos dabimus. Horum primus aureus præfert ejuſdem Pauli gentilitiam teſſeram, circum quam hæc verba PAV. III. P. M. PLAC. D. *Paullus tertius Pontifex maximus Placentiæ Dominus*. A tergo inſculpta apparet Crux affabrè elaborata cum hiſce ſiglis in angulis P. L. A. C. urbis nomen indicantibus. In circuitu legitur hæc epigraphes NON ALIVNDE SALVS.

Argenteus ſecundus anticam habet ſimilem præcedenti: ejus
II. vero poſtica demonſtrat Sanctam Juſtinam ſtantem ſiniſtra paſtoralem virgam ſuſtinentem, additis in orbe literis S. IVSTINA PROTETRIX.

Oſtendit tertius ex infimo argento conflatus in una parte
III. Pontificiam Tiaram cum vitta circumvolitante, in qua expreſſum legitur PLACENTIA. Verba, quæ in ejus circulo ſignata conſpiciuntur, hæc ſonant PAVL. III. P. M. PLACENTIE D. In averſa eminet S. Savini urbis Epiſcopi, ac Compatroni imago pectore tenus, verbis in gyrum poſitis S. SAVINI PLACENTIE EP. Sub miti Eccleſiæ imperio ad annum MDXLV. urbs ſtetit, quo ipſe Paullus Aloyſio filio hanc cum Parma in Feudum conceſſit, et eo functo Octavius filius ſceptrum tenuit in cujus cultum quartum, quem damus, nummum Placentini
IV. cuſere. Æreus eſt, perhibetque in prima facie Farneſiæ gentis inſignia, circum quæ hæ voces OC. FAR. PLA. ET PA. D. II. *Octavius Farneſius Placentiæ, et Parmæ Dux ſecundus*. In oppoſita viſitur Sanctus Antoninus urbis Patronus principalis equo inſidens: circumambitur literis COMV. PLAC. *Communis Placentiæ*; in exergo S. C. *Senatus Conſulto*.

REGII.

DE hujuſce urbis initiis non una eſt Scriptorum ſententia; etenim nonnulli, inter quos Blondus, Regium ab illo Lepido fuiſſe conditum, qui poſt Julii Cæſaris mortem cum Octavio, et M. Antonio Triumviratum geſſit, memoriæ prodidere. Alii porro, et quidem verius, ab antiquis Hetruſcis originem traxiſſe, et a M. Æmilio Lepido, qui Conſulatum geſſit anno ab urbe condita DLXXIII., atque Æmiliam viam a Placentia ad Ariminum munivit, ac ſtravit, aut reſtauratum, aut ædificiis auctum, gratamque poſteritatem Regium Lepidi voluiſſe appellatum.

Digitized by Google

latum. Cæterum utcumque ſe habeat res, hoc tamen pro certo habendum, urbem fore antiquiſſimam, et in Romanorum fidem, a quibus Colonia facta, hæſiſſe ad Gothorum, et Longobardorum uſque in Italiam adventum, a quibus cum cæteris Æmiliæ urbibus direptionem, ac incendia paſſa eſt. Longobardorum imperio in Italia deleto, Regium a Civibus reſtauratum diu ſua libertate eſt uſum, dein, prout ſors tulit, in diverſorum Regulorum, quos alio in libro (1) perſtrinxi, poteſtatem devenit, inter quos Eſtenſes, qui ſub Marchionum titulo, poſtea Ducum urbi præfuere, quorum nomina in Regienſibus nummis exarata perpenduntur. In primo itaque argenteo, quem hic damus, depicta apparet aquila expanſis alis antiquum hujuſce Familiæ ſcutum teſſerarium, verbis in gyrum poſitis HERCVLES DVX. In averſa facie medium tenet S. Proſperi urbis Protectoris imago, et per gyrum S. PROSPER EPS REGII; inferius urbis ſtemma. I.

Ejuſdem Sancti Protectoris effigies inſpicitur pariter in antica parte ſecundi ærei nummi, ab eo omnino diverſi, quem protulit Muratorius ſub num. II. Præfert poſtica urbis teſſeram cum lemmate in circuitu REGIVM. II.

Æreus tertius (2) exhibet in anteriori fronte urbis inſigne, et inſcriptionem REGIVM OLIM AEMILIA. In poſteriori binas claves decuſſatas, alligataſque cum Pontificia Tiara ſuperimpoſita, verbis in limbo exaratis LEO X. PAPPA. Julius III. II. poſt bellum anno MDXII. infeliciter ad Ravennam geſtum, reaſſumptis, nulla interpoſita mora, viribus, Urbinati Duci, qui ſummo cum imperio Eccleſiæ copiis præerat, mandavit ut ad occupandum Regium properaret. Urbinas, qui tunc temporis ad Herberiam caſtra habebat, antequam ad hoſtilitates deveniret, Pontificis mentem Regienſibus ſignificavit, qui ſuis diffiſi viribus, in ejus manus urbem dimiſere, miſſiſque inde Romam Legatis, juramentum fidelitatis Julio, et Succeſſoribus præſtitere.

(1) Bellini Diſſert. 2. pag. 124.

(2) Huic ſimilem alterum jam edidit Benedictus Floravantus ſub num. XIX. Placuit tamen et iſtum exhibere, utpote ex diverſa matrice proditum; in noſtro enim viſitur verbum PAPA cum duobus P., quemadmodum patet conferenti.

Digitized by Google

In æreo quarto inſpicitur vultus Principis cum epigraphe in
IV. circuitu HER*cules* II. DVX REGII. A tergo eminet ſacra pixis hiſce vocibus circumſepta SANGVINIS XPI. Vacante Sede Apoſtolica ob mortem Adriani VI. Alphonſus ſubitariis collectis copiis Regium properavit, tentatiſque Civium animis, ipſi Ducis ſtudio accenſi portas recluſere; et ſic Regium nullo armorum ſtrepitu ad veteres Dominos rediit, ſub quibus adhuc perſeverat. Alphonſo ſucceſſit Hercules maximus natu filius, in cujus obſequium expoſitum nummum Regienſes obſignare fecerunt.

Exponit quintus æreus ejuſdem Herculis effigiem, in cujus
V. limbo Principis nomen inſcriptum perpendimus HER. DVX REGII IIII. Aquila expanſis alis adverſæ partis aream implet cum epigraphe circumducta NOBILITAS ESTENSIS.

Æreus ſextus antecedenti parum diſſimilis eſt: ibi Herculis
VI. protome cum ejus nomine in circuitu; in oppoſitæ medio loco aquilæ ſtat Unicornis, cum inſcriptione ut ſupra.

Sub eodem Hercule percuſſus eſt ſeptimus æreus nummus exhibens in prima fronte Principis vultum, et ejus nomen in
VII. margine. Inſignitur poſtica Deiparæ imagine puerulum Jeſum in ulnis complectentis, et ei lac præbentis, additis in orbe verbis MATER GRATIE.

Ejuſdem B. M. Virginis effigies cum inſcriptione, ut ſupra,
VIII. repræſentatur pariter in anterioribus partibus duorum ſubſequentium. Poſteriores verò omnino diſſimiles ſunt; in una enim exhibetur urbis ſtemma cum literis circumſcriptis REGIVM
IX. LEPIDI: altera verò oſtendit Sancti Protectoris imaginem pectore tenus cum ejus nomine in circuitu. Hæc Deiparæ imago in nummis delineata, ut ſimiliorem aſpicere nemo poterit, in muro horti PP. S. Mariæ Servorum depicta conſpiciebatur, et antiquo cultu a Regienſi populo venerabatur; quæ cum eſſet injuria temporum adeo deformata, ut veſtigium fermè nullum appareret; placuit Ludovico Pratiſſolo Regienſi civi ad conſervandam erga virginem devotionem eam renovare anno MDLXXIII., operis cura Joanni Blanco Pictori alias *Bertone* demandata. Is veteri imaginis forma prætermiſſa, novo inventu Deiparam ſedentem expreſſit, junctis manibus, et in actu puerulum Jeſum adorandi, ſuper pulvillum pariter inſidentem, apertis brachiis,

Digitized by Google

chiis, et oculis in matrem converſis, addita in ſuperiori parte epigraphe QVEM GENVIT ADORAVIT. Hæc itaque nova imago cum a Civibus frequentaretur, ejus cultus magis invaluit in monumentum miraculi uni Civium *Marchino* nomine præſtiti III. Kal. Majas MDXCVI., qui ſurdus, et lingua carens audire cœpit, et loqui, et clara voce, rectoque ſermone interrogationibus factis reſpondere. Fama tam præclari miraculi per urbem, et vicina loca ſenſim ſparſa, et horum crebritate Antiani, et Primates perculſi debitas gratiarum actiones retribuere cupientes, Claudio Rangono Regii tunc Præſule annuente, ſacram Virginis imaginem a muro ſeparatam, publica præmiſſa proceſſione, in temporario eo in loco extructo ſacello collocarunt. Confluentibus inde non ſolum de vicinis pagis, et caſtris; ſed etiam de longinquis urbibus ad hanc ſacram imaginem catervatim populis, et non paucis aureorum Scutorum millibus ex oblationibus recollectis; urbis Optimates ad præclara quæque ſemper paratiſſimi, ut erga B. Virginem frequentiorem cultum promoverent, magnificentiſſimum in ejus honorem excitare a fundamentis Templum decrevere; auguſtiſſimumque opus VIII. Idus Junii MDXCVII. auſpicati ſunt. Paſtorali itaque a Rangonio præmiſſa exhortatione, et primo lapide ſolemni ritu benedicto, Alphonſus Dux, qui cum Margareta uxore multis ſtipatus Nobilibus, ac Feudatariis illuc acceſſerat, in fundamento hunc poſuit. Celeberrimi hujuſce Templi Alexander Balbus Ferrarienſis architectus, et auctor fuit, et eo non multos poſt annos functo, ſtudio, et opere Franciſci Pacchioni Regienſis fuit continuatum, abſolutumque anno MDCXVIII., quo tempore Hercules Rondinellius urbis Gubernator de translatione facienda comitiis habitis ad IV. Idus Maji ſubſequentis conventum. Ubi ergo felix illuxit dies ampliſſimo pompæ genere inſtituta proceſſione, cui Antiſtes, Dux Cæſar, Purpuratus frater, et cæteri Eſtenſes Principes maxima cum pietate interfuere; prodigioſam imaginem ad Templum (1) noviter ex-

(1) Hujuſce Templi ſtructuram, picturas, ornamentaque cætera ſuſe, graphiceque deſcripſit P. Cherubinus Ranzanius Regienſis Ord. Servorum B. M. V. in libro cum titulo = *Veridico Racconto dell' origine, Progreſ-*

citatum, quod B. Virginis Gratiarum nuncupatum Regienſes voluere, et in Sacello ad hanc excipiendam ſuperbo ſtructuræ genere elaborato collocarunt; ibique ad ejus Aram rem primo divinam fecit Epiſcopus cum pia Eſtenſium Principum, Antianorum, Nobiliumque aſſiſtentia: quo tempore Cives in lætitiam effuſi, quamplurimis devotionis, ac religionis ſignis editis, perpetuum in publicis, ac privatis calamitatibus præſidium ſperantes, non intermiſſa pietate, Templum frequentare cœperunt, et majori in dies cultu proſequuntur.

Argenteus decimus oſtendit in anteriori fronte Ducis caput
X. cum epigraphe circumducta HER. II. DVX REGII. IIII. In averſa parte eminet S. Chryſanthi Martyris Regienſium Compatroni imago, literis in orbe exaratis S. CHRISANTVS MAR*tyr*.

Undecimus argenteus incertum eſt quo tempore fuerit cu-
XI. ſus. Ibi inſpiciuntur Eſtenſium inſignia, hiſce vocibus circumſepta SVB HOC CLYPEO TVTI. Præfert poſtica ipſum S. Chryſanthum martyrii palmam ſiniſtra ſuſtinentem cum hac inſcriptione S. CHRISANTVS M*artyr* REGIENSIVM. ſubintellige *Compatronus*.

In duodecimo ex infimo argento conflato nummo exhibe-
XII. tur ejuſdem Herculis vultus cum lemmate ut in X. A tergo inſpicitur S. Dariæ Martyris urbis Compatronæ effigies, circum quam hæc verba S. DARIA MARTYR. Chryſanthus, et Daria Romæ ſub Numeriano Imperatore a Celerino Præfecto comprehenſi, et carceribus demandati cum poſt multos paſſos cruciatus in confeſſione Chriſti perſtitiſſent, in foveam depoſiti, et ſaxis obruti martyrium conſummarunt. Horum ſacra corpora a Berengario I. Roma Papiam educta, et religioſe condita, illic ad annum DCCCCXLVII. (1) ſtetere, quo Berengarius II., Adelardi Regienſis Epiſcopi precibus compulſus, ea ipſi pro eximio munere conceſſit, a quo Regium translata in Cathedrali

Ec-

---

greſſi, et Miracoli della Madonna di Reggio &c. = edito Mutinæ per Bartholomæum Solianum Typographum MDCLXVI., in cujus calce illorum nomina recenſentur, qui diverſis languoribus laborantes ejuſdem Virginis interceſſione fuerant ſanitati reſtituti.

(1) Sigonius de Regno Ital. lib. *6.*

Digitized by Google

TAB. XVI. P. 86

PLACENTIÆ

REGII LEPIDI



Digitized by Google

Januarii Divo Antonio Abbati ſacra per manus Caroli Cardinalis Caraphæ in noſtra Cathedrali inſignitus eſt. Interea Ferdinandus Dux Albæ Neapolis Rex cum cognoviſſet Philippum, qui invitus ad arma trahebatur, iratum Pontificis animum ſupplicibus litteris, legationibuſque flectere, et gliſcens ſopire incendium minime valuiſſe; non ultra cunctandum ratus, ad S. Germanum in unum collectis copiis ſub initium Septembris MDLVI., Marco Antonino Columna, et Aſcanio Cornea Ducibus, Eccleſiaſticam ditionem invaſit; nulloque obice, Froſinone, Terracina, atque Piperno potitus: Anagniam a Præſidiariis derelictam ingreditur, ibique non pauca immanitatis ſigna milites ediderunt. Felicibus hiſce cœptis Neapoliſpani elati, in totum Latium effuſi direptionibus, incendiiſque omnia miſcebant; irruentibuſque Neptunum, Marinum, Tybur, Oſtia, et alia ejuſdem Provinciæ loca patuere. Hiſce auſibus accenſus Pontifex, collectis anno qui inſequutus, quaſcumque potuit, copiis, Petrum Strotium, et Ducem Montorii ad retundendam aggreſſorum audaciam immiſit, felicibuſque auſpiciis Tybur, Oſtia, atque aliqua amiſſa loca recuperata ſunt. Hæc dum in Latio gerebantur, Carolus Dux Guiſiæ Herculis gener cum Gallico exercitu XVII. armatorum millibus, ut nonnulli ſcripſere, numeroſo, apud Regium Lepidi die XIV. Februarii conſedit; ibique habito inter Guiſium, Socerum, et Cardinalem Carapham militari congreſſu, quo belli moles primum vertenda foret, cùm Eſtenſis, qui a Cremonenſi ditione exordium auſpicari propoſuerat, mentem eſſe Pontificis in Regnum, omni mora omiſſa, exercitum deducendum a Purpurato didiciſſet; optimo uſus judicio, a ſuſcepta provincia ſe abdicavit, maluitque ad ſuos conſiſtere, et eorum utilitati, quàm alienæ inſervire. Bello itaque a Guiſio in Samnites delato, Camplium XV. Kal. Majas properavit: et per vim occupato, omnia ferro, ſanguine, ac libidine miſcet, neque aut ſexus, aut ætatis, aut virginum penetralium diſcrimen habitum. Terrano inde, Curteguerra, et Julia nova potitus ad circumvallandam Civitellam adoritur. Tentata oppidi oppugnatione, et a ſtrenua Præſidii, atque incolarum utriuſque ſexus virtute repulſus, cum loci vi potiundi ſpem omnem abjeciſſet, poſt duos et viginti obſidionis dies in Aſculanum agrum agmen perduxit. Hoc eodem tem-

TAB. XVI. P. 86

PLACENTIÆ

I
AV

II
AR

III
AR



IV
Æ

REGII LEPIDI

I
AR

II
Æ



III
Æ

IV
Æ



V
Æ

VI
Æ



VII
Æ



VIII
Æ

IX
Æ



X
Æ



Digitized by Google

Digitized by Google

tempore Albanus, auctis copiis, in Latium reversus arcem Maximi vi cœpit; et Segniam post horrenda scelera a milite perpatrata diruit, atque incendio corrumpit. Altiora inde meditatus Romam quoque VII. Kal. Septembris intempesta nocte, admotis ad ejus muros scalis, studuit occupare; sed aggressorum conatus ob vigilantium Præsidii irriti cecidere. Hæc inter Romam nunciatum, Gallicum exercitum in Belgio ab Hispanis ad S. Quintinum deletum, et Henricum ad sua tuenda Guisium cum milite evocasse: quam ob rem deterritus Pontifex ad audiendas conditiones pacis, quas semper nepotum impulsu, atque artibus renuerat, se convertit; quæ tandem XVIII. Kal. Octobris ad ejus mentem firmata est. Et hic hujusce belli inconsultius a Paullo suscepti, et gesti finis fuit. Hoc extincto, novum in Estensis ditione insurgit; etenim Philippus Herculi ob fœdus cum Pontifice ictum infensus, Octavio Farnesio Parmensium Duci sibi jam conciliato ultionem, ac belli molem commisit. Hic sub Octobris initium Hispanicis, et Florentinis succinctus copiis in agrum Regiensem ingressus, ingentibus, nemine prohibente, populationibus factis, primo impetu Montechium occupavit, ac singulari diligentia munivit, omnibusque necessariis instruxit. Ea inde usus celeritate, Canussium, S. Paullum, Varanum, Scandianum, aliaque loca ad deditionem adegit: quo tempore Estensis cum suis Parmensem ditionem in prædas effusus vastavit, atque ad portas usque urbis penetravit. Postero autem anno Hercules reassumptis viribus, Canussio, ac S. Paullo per suos Duces recuperatis, Garnigionis arcem in suam redegit potestatem. Ad Rossenam inde Corrigiensium Castrum, qui a data fide desciverant, progressi; cùm ejus Præsidiarii se se submittere renuissent, vi capiunt, direptionibus, ac postea incendio deformant. Itaque cum magis recrudesceret bellum, et ab utraque parte nova subsidia colligerentur; non defuere, et maxime Veneti, et Florentinus Dux, qui Regem ad concordiam hortarentur, quibus motus Herculem in suam amicitiam recepit, et Regio pacem dedit.

SABAUDIÆ.

ÆReus primus perhibet in area unum L. *Ludovicus*, cujus

I. jus nomen in margine repetitur LVDOVICVS DVX. In aversa parte medium tenet antiquum hujuſce Gentis inſigne, literis in gyrum poſitis SABAVDIA. Spectat nummus ad Ludovicum illum ex Amedeo Sabaudiæ Duce I. natum, qui in vita patris (1) cœpit Sabaudienſes res gubernare. Hic in Franciſcum Sfortiam Mediolani Ducem, qui Philippo Mariæ Vicecomiti ſucceſſerat, movit anno MCCCCLII. et multa illius ditionis loca ſuo adjecit imperio; verum biennio poſt Sfortia rebus cum Venetis compoſitis, ea recuperaturus Tiberto Brandolino, et Roberto Sanſeverinate celeberrimis in armis Ducibus immiſſis, ad Sfortianam devotionem trium dierum ſpatio redacta ſunt. Poſt hæc Ludovicus ad ſtudia conſervandæ pacis ſe convertit, et multa prole felix anno MCCCCLXV. e vivis abſceſſit.

II. In medio ſecundi ærei inſpicitur litera K. corona ſuperpoſita, Caroli nomen indicans, qui poſt mortem Philiberti fratris imperii habenas ſuſcepit anno MDIV., et in ejus circulo legitur hæc epigraphes CAROLVS II. DVX SABAVD*iæ*. In averſæ partis margine hæ voces exaratæ perpenduntur PRETO*riæ* AVGUSTE *Sacri* R*omani* IMP*erii* PRINC*eps*: in area inſculpti apparent quatuor nodi cum totidem ſiglis (2) F. E. R. T., quarum explicatio ſic habenda *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*.

Argenteus tertius oſtendit in anteriori fronte ipſius Caroli caput hiſce

---

(1) Amedeus pater anno MCCCCXXXIV., ut melius Deo inſerviret, principatu ſe abdicavit, & ad Ripaliæ ſolitudinem Gebennenſis Diœceſis ſeceſſit; ibique Divinarum rerum contemplationibus, et Chriſtianæ pietatis ſtudiis totum ſe dedit. Graves ea tempeſtate inter Pontificem, et Purpuratos gliſcebant contentiones; etenim Eugenius ad Pontificatum erectus MCCCCXXXI. eodem anno ad reformandam Eccleſiam Baſileæ indicto Concilio, a Patribus in Conciliabolum verſum eſt, et de exauctorando Pontifice cogitatum. Itaque poſt longas diſceptationes tandem anno MCCCCXXXIX. lata in Eugenium depoſitionis ſententia, in ejus locum Amedeum cum nomine Felicis V. elegerunt, qui cum per decennium eo in munere ſe geſſiſſet, ut Eccleſiæ pacem daret, ſponte Pontificatum dimiſit, et Ripaliam Cardinalitia dignitate a Nicolao V. Eugenii ſucceſſore in præmium virtutis inſignitus reverſus eſt; ibique anno MCCCCLII. curſum vitæ ſuæ confecit.

(2) Qua de cauſſa Sabaudiæ Principes haſce ſiglas in monetis inſcripſerint, et quando cœperint, exponitur in Diſſert. 2. pag. 128.

Digitized by Google

TAB. XVII P. 89

REGII LEPIDI

SABAVDIÆ







Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

hiſce vocibus circumſeptum CAROLUS II. DVX SABAVDIE IX. In poſteriori duo leones inſignia Principis ſuſtinentes abſque III.
ulla inſcriptione : inferius ſiglæ L. F. monetarii forſan nomen indicantes.

Equo currenti inſidens Princeps obſervatur in aureo quarto cum ejus nomine in circuitu. Poſtica præfert ſtemma literis hinc IV.
inde diſpoſitis FE. RT.: additur in circulo lemma NIL DE-EST TIMENTIBVS DEVM, ſubſequentibus ſiglis T. B. B., quas aliis me peritioribus explicandas relinquo. Hoſce nummos ante annum MDXXXVI. fuiſſe cuſos, quo tempore Carolus a Gallis Principatu pulſus, ex ſubſequenti enarratione unicuique manifeſtè patebit. Franciſco Sfortia Inſubrium Duce fatis functo anno MDXXXV., Franciſcus Francorum Rex antiquo hæreditatis jure a Valentina Vicecomite repetito, viduatam ditionem, cui forte inhiabat, ſuo adjungere imperio cœpit meditari; utque expeditius ſibi iter in Italiam compararet, Carolo Sabaudiæ Duci avunculo ſuo, cujus Principatum jure Ludovicæ (1) matris ſuæ ſibi pertinere contendebat, bellum indixit. Itaque ſequenti anno, vere appetente, Galli ſub ductu Philippi Sciabotti Alpes tranſgreſſi in campos Sabaudiæ deſcenderunt; nulloque obice, Foſſano, Pinarolo, Cherio, et Taurino occupatis, reliquæ Ducatus parti jugum imponere nitebantur. Hiſce preſſus anguſtiis Carolus, qui de hoſtium adventu certior factus uxorem, et filium, ut belli periculis eximerentur, Mediolanum cum pretioſioribus demandaverat; Vercellis ſe recepit, et niſi Antonius Leva Inſubriæ Præfectus cum juſtis viribus occurriſſet, Gallorumque conatus cohibuiſſet; futurum erat, ut urbs, et reliqua Ditionis loca in eorum poteſtatem deveniſſent. Quod cum ad Cæſarem, qui tunc temporis in Africæ finibus bellum

(1) Philippus Amedei Sabaudiæ Ducis filius natu maximus cum Margareta Borbonia nuptias fecit, ea inita conditione, ut qui ex eo matrimonio filii naſcerentur, quo quiſque major natu foret, ſuo ordine in Ducatu ſuccederet. Philibertus ergo, deinde Ludovica Franciſci Regis mater, poſtremo Carolus prodiere. In juventutis flore improlis deceſſit Philibertus, eique Carolus frater ſubrogatus, fruſtra reclamante Ludovica, cui ex matrimonii pacto Ducatus obveniebat; et hinc inter Gallum, et Sabaudum accenſæ funeſtiſſimi belli, et odiorum faces, quæ ad annum MDLIX. perdurarunt.

Digitized by Google

gerebat, Tunetumque, et Guletam ſui juris fecerat, delatum; propinqui ſui, et Romani Imperii clientis injuriam ulturus, exercitu Neapolim, inde Romam deportato, Galliam verſus per Ligures caſtra movit, et ſpe totum Regnum occupandi illectus Pyreneis jugis proſpere ſuperatis, ac cunctis obviis populatis, Maſſilia fruſtra oppugnata; ad Aquas Sextias conſedit. Franciſcus interea nihil ad retundendos Imperatoris conatus intentatum relinquens, opportunis in locis ad excipiendos hoſtes præſidiis diſpoſitis, frumenta, & commeatus omnes ad remotiora munita loca devexit: frumentariiſque incenſis, perruptiſque molis, ad tantam panis inopiam Cæſareum exercitum eduxit, ut milites autumnalibus tantum fructibus, acerbiſque uvis veſci adacti, ventris ſtatim profluvio laboraverint; quo morbo cum viginti et amplius millia periiſſent, Carolus veritus, ne hoſtis in ægretum, et pene confectum exercitum inſurgeret, citato itinere in Italiam revertitur. Ad tantum ſuffocandum incendium providè accurrit Paullus III. tunc ſummus Pontifex; quamplurimiſque nunciis, ac litteris huc atque illuc miſſis Niceam Pedemontii urbem anno MDXXXVIII. contendit. Eò Cæſare, et Gallo accedentibus, licet colloquium inter Principes impetrare non poſſet, ipſe tamen cum eis ſeparatim egit, ac poſt longas diſceptationes, ſi non pacem, inducias, rebus in eodem ſtatu permanentibus, ad decem annos duraturas impetravit: quibus nondum exactis (1) Francorum Rex cum fatis conceſſiſſet, imperii faſces ad Henricum filium delatæ ſunt. Hic per veſtigia patris decurrens, in Cæſarem renovato bello, variæ in Sabaudienſi Ducatu pugnæ, nutante hinc inde fortuna, conſertæ ſunt: quibus, aliiſque anguſtiis preſſus Dux in morbum incidit, et VIII. Kal. Septembris MDLIII. Vercellis vivere deſiit. Hunc Emanuel Philibertus filius bellicis rebus clarus excepit, qui eo tempore Cæſarei exercitus ſupremus Dux factus, in Edini oppugnatione maximam ſibi laudem comparavit. Pace tandem inter belligerantes conciliata anno MDLIX; Sabaudus, Eleonora Henrici ſorore ſibi deſponſata, ad ſuum Principatum celeberrimo

No-

(1) Induciæ peractæ XIV. Kal. Quinctilis MDXXXVIII. Franciſcus tres et quinquaginta annos natus vivere deſiit pridie Kal. Aprilis MDXLVII.

Digitized by Google

Nobilium comitatu reverſus ſummo cum gaudio, ac magnificentia a ſubditis exceptus eſt.

SALUTIARUM MARCHIONES.

UNicum tantum exhibeo nummum ſub hiſce Marchionibus percuſſum. Eſt ex infimo argento compactus, oſtenditque in anteriori facie gentilitium Principis ſcutum cum literis circumpoſitis LVDOVICVS *Marchio* SALVTIAR*um*. In circuli ſummitate averſæ partis viſitur minuta S. Conſtantii urbis Patroni imago, ſubſequentibus vocibus SANCTVS CONSTANTIVS; et in ejus area Crux eleganter efformata. Nummus referendus eſt ad Ludovicum II. ex altero Ludovico natum, qui patri in dominatu ſucceſſit anno MCCCCLXXV., et ob ejus merita, et in politicis gerendis rebus peritiam fuit a Carolo VIII. Francorum Rege poſt occupatum Neapolim Proregis munere condecoratus. Poſt Ludovici exceſſum ſceptrum tenuit Michael Angelus maximus natu filius, cujus nummos in ſecunda Diſſertatione evulgatos invenies.

SENARUM.

IN area primi argentei nummi inſculpta apparet litera S. urbis nominis initialis, cum quatuor parvis crucibus hinc inde diſpoſitis: additur in limbo epigraphes SENA VETVS. Averſæ partis medium Crux tegit, hiſce characteribus in orbe poſitis ALFA ED. O. *Alpha*, *et Omega*, licèt artifex in nummo inſculpſerit græcam literam *Omicron* pro *Omega*, ut in aliis obſervatur. I.

Æreus ſecundus argento mixtus exhibet eamdem literam S. cum urbis nomine in circuitu. Poſtica oſtendit Crucem, et lemma, ut in præcedenti. Alios quatuor ex eodem metallo compactos, eaſdemque imagines, ac inſcriptiones præferentes, diverſo tamen typo percuſſos, libentius prætermitto. Hoſce nummos ante annum MCCLX. fuiſſe obſignatos ex infra dicendis patebit. Sena perantiqua (1) Hetruriæ urbs a Carolo Magno II.

(1) De hujuſce urbis initiis fuſius egit Orlandus Malavolta, qui res a Senen-

poſt Longobardos devictos libertate donata, adeo opibus, et potentia crevit, ut cum finitimis populis ſæpius decertaverit, percelebreſque victorias reportaverit. Eas inter illa maximè de Florentinis anno MCCLX. circumvallantibus Senas recenſenda, quorum caſtra cum aliquando obſeſſi nulla prorſus cura cuſtodiri ab exploratoribus didiciſſent, tanto impetu Senenſes in hoſtes irruerunt, ut tercentis deſideratis cæteros in præcipitem fugam conjecerint. Hac præter ſpem potiti victoria confeſtim agmine inſtructo, ad repetendum Montalcinum (1) adorti, Florentinorum animos adeo exaſperarunt, ut ad novum ſuſcipiendum bellum adigerentur. Contractis ergo Arretinorum, Piſtorienſium, Pratenſium, Bononienſium, Volaterranorum, aliorumque Guelphæ factionis auxiliis, cum triginta armatorum millibus, ac bellico curru in Senenſium Ditionem penetrarunt, et ad Montapertum oppidum prope Arbiam flumen quarto a Senis lapide caſtra fixerunt. Senenſes interea duobus delectorum peditum millibus, ac mille et quingentis equitum a Manfredo Neapolis Rege impetratis, Gibellinorumque adjuti viribus; Beatæ Mariæ Virginis, cui urbem obtulerant, fili præſidio, et quaſi de victoria ſecuri cum tota acie ſexdecim militum millibus numeroſa, et publico curru ad hoſtes convolarunt. IV. Nonas Septembris ſumma contentione pugnatum; utriuſque enim partis bellatores odio efferveſcentes in adverſos veſano impetu differebantur, tantaque utrinque virtute res gerebatur, ut ancipiti diu marte prælium traheretur. Perturbatis tandem Florentinorum ordinibus, ad internecionem deleti, et profligati ſunt. Fama tam adverſæ pugnæ Florentiæ ſparſa, tantus terror Cives invaſit, ut plerique de Republica jam actum rati, cum uxoribus, liberis, ac gazis Lucam, alii Bononiam ſe contulerint.

Hæc

Senenſibus, vel contra ipſos geſtas ad annum uſque MDLV. uno Tomo contexuit. Scribit enim ab Hetruſcis fuiſſe conditam, et a Romanis poſt devictos Samnites, ut perhibet Livius Epit. Lib. XI., in coloniam deductam anno ab urbe condita CCCCLVI. M. Curio Dentato, et P. Cornelio Ruffino Conſulibus.

(1) Montalcinenſes neglecto jurejurando, quo Senenſibus fidem ſuam obſtrinxerant, ab ipſis defecerant anno MCCXXXIV. et cum Florentinis ſocietatis fœdere ſe conjunxerant. Ad tantam ergo ulciſcendam injuriam merito in eos arma inlata.

Digitized by Google

Hæc inter Senenſes ovantes, et ſpoliis onuſti urbem ingreſſi ſingulari Virginis ope ſe tanta victoria potitos confitentes, ut in monetarum inſcriptionibus verbis SENA VETVS hæc alia CIVITAS VIRGINIS adderentur, decrevere, et optima fide, quouſque ſtetit Reſpublica, præſtiterunt.

Tertius ex puro ære conflatus nummus demonſtrat in prima fronte unum S. cum inſcriptione in limbo exarata SENA VE- III.
TVS. Præfert poſtica in medio Crucem, ſuperius ſignum, et in circulo CIVITAS VIRGINIS.

Alterum æreum nummum damus ſub num. quarto eaſdem imagines, et verba exhibentem: in hoc tantum differt a præ- IV.
cedenti, quod in circuli ſummitate aliud ſignum cælator inſculpſerit. Hi nummi, ut perhibet Malavolta, anno MDXXVI. cuſi ſunt; eo enim tempore Senenſes exules patriæ deſiderio capti mercenariis conſcriptis militibus, auxiliiſque Pontificis, atque Florentinorum adaucti in agrum Senenſem penetrarunt, et ad portam Camuliam caſtra fixerunt. Itaque urbs maximis utrinque viribus oppugnatur, defenditurque. Fruſtra per plures dies tormentis muri concuſſi: aggreſſores forti animo ſemper repulſi, eorumque conatus repreſſi. At Cives diuturnam obſidionem pertæſi conſilium experiendæ cum virtute fortunæ cœperunt, ac repente VIII. Kal. Sextilis cum tota acie portis egreſſi ad hoſtium caſtra decurrerunt. Ad plures horas acriter, pertinacique animo dimicatum, variante hinc inde fortuna; at ubi Julii Columnæ equitatus, populariaque auxilia acceſſere, adverſariis graviſſima clade affectis, ac in fugam verſis victoria pro Senenſibus ſtetit, ex quibus centum circiter, ex hoſtibus vero mille et amplius cecidere. Re proſpere geſta, exulibuſque purgata Ditione, Patres ad collapſos reſtituendos muros, firmandaque munitionibus propugnacula converſi cum hiſce, aliiſque indigentiis ob tenues Reipublicæ redditus conſulere non eſſet datum; maximam Quatrenorum quantitatem ex puro ære conflarunt, lege lata, ut eorum valor veteribus argento mixtis æquipolleret: et ſic Reſpublica ultra quadruplum lucrata eſt, ſatiſque proviſum.

Argenteus quintus demonſtrat in medio literam S. cum characteribus per gyrum ad ſemigothicam ſcribendi formam exaratis SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. Averſam partem V.

Crux

Crux tegit, ſcriptis in orbe vocibus ALPHA ET O. PRINCIPIVM ʒ FINIS.

Habet argenteus ſextus in area conſuetum S., et in circuli
VI. ſummitate urbis ſtemma, ſubſequentibus verbis SENA VETVS CIVITAS VIRGIN*is*. A tergo eminet Crux cum ſolita inſcriptione ALPHA ET Ω PRINCIPIVM ʒ FINIS.

Septimus argenteus præcedenti ſimilis eſt; ſed minoris for
VII. mæ. Præfert eaſdem imagines, et inſcriptiones, et eodem tempore fuiſſe cuſum non eſt ambigendum.

Octavus argenteus exhibet in antica parte lupam, et duos
VIII. fratres Romulum, et Remum Romanæ urbis fundatores, quorum unus humi jacet, alter ſuper dorſum animalis inſidet ſiniſtra vexillum ſuſtinens, cum lemmate SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS: in poſtica Crucem, et epigraphen, ut in antecedentibus.

In argenteo nono inſpicitur Deiparæ dimidiata effigies, cir-
IX. cum quam hæc verba SALVAVIT NOS DEXTERA TVA. In averſa parte alata imago palmam ſiniſtra ſuſtinens, cum lemmate SENA VETVS.

Eamdem dimidiatam Virginis imaginem, cui ſubeſt typus
X. urbis, habemus pariter in decimo argenteo, addita in margine inſcriptione SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. Averſa pars ſimilis eſt antecedenti, demptis verbis, quæ ſic ſonant MANVS TVE DOMINE FECERVNT ME.

Protome Virginis ornatur antica pars undecimi argentei nummi, in cujus limbo, legitur SENA VETVS CIVITAS VIR-
XI. GINIS. In poſtica effulget Crux eleganter elaborata, cum literis circumpoſitis ALPHA ET Ω PRINCIPIVM ET FINIS. Ibi quoque denotatur tempus, quo nummus ſignatus eſt, anno ſcilicet 1550.

Eodem anno percuſſus eſt alter ſubſequens, exhibens in una
XII. parte lupam Romulo, et Remo rumim præbentem: in averſa ſcutum, in quo hoc verbum LIBERT*as* cum inſcriptionibus, ut in antecedenti.

Habes decimum tertium argenteum cum nota anni 1555. ultimum ſane a Republica Senis cuſum; etenim hoc eodem
XIII. anno Senenſis Populus libertate, qua ſemper uſus, a Carolo V. Imperatore exutus eſt; quod ut clarius intelligatur, paullo altius ejus

TAB·XVIII

SALUTIARUM MARCHIONES

SENARUM









Digitized by Google

Digitized by Google

us ejus cauſſa repetenda eſt. Gliſcentibus inter Senenſes odiis, ſimultatibuſque: creſcentibuſque in dies cædibus, ac ſuppilationibus; Cæſar ad eorum inſanos cohibendos motus, ſtatumque perturbatæ Reipublicæ componendum, Gravellanum adminiſtrum ſuum cum CCCC. Hiſpanis ad urbis præſidium immiſit anno MDXLVII. Verum non multo poſt cum rerum urbanarum cura Didaco Mendozæ fuiſſet demandata, et ipſe Senenſes ſæpius tumultuantes, et in fide titubantes agnoſceret; ad imponendum eis frænum, arcem, Carolo annuente, excitari, et extrui curat anno MDLII., quod cum Senenſes ægre ferrent, clam conſcriptis militibus, auxiliiſque Nicolai Urſini Pitiliniani Comitis ſuffulti in præſidiarios inſurgunt, qui ad inopinati periculi diſcrimen conſternati, cùm ſe aliquandiu acerrime vindicaſſent; tandem tutiore conſilio ſuſcepto, Nonis Auguſti urbe relicta alió abiere. Re ex voto ſucceſſa, æquataque ſolo arce, Senenſes ut ſe adverſum vim Cæſaris confirmarent in Henrici Francorum Regis fidem, ac clientelam ſe contulere, et Senis Gallicum præſidium excepere: quo tempore grave inter Henricum, et Carolum bellum exarſit; etenim Carolus Petro Toletano Neapolis Proregi mandavit, ut juſtum exercitum ad vindicandam injuriam compararet. Huic expeditioni Garziam filium Toletanus præfecit, qui poſtero anno, ductis in agrum Senenſem duodecim armatorum millibus, primo impetu Monticellum oppidum XII. Kal. Aprilis occupavit: inde ad circumvallandum Montalcinum muris, turribuſque, tum loci natura munitum ſe convertit, ac vario urbem apparatu oppugnare inſtituit. Inerat in eo validum Gallorum præſidium, cui præerat Jordanus Urſinus ſpectatæ virtutis juvenis, qui adventantium hoſtium non ignarus commeatu, cæteriſque omnibus ad diuturnam tolerandam obſidionem urbem præmunierat. At Garzias cùm aliquot dies in caſtris hæſiſſet, totis viribus urbem adoritur; cumque per ſcalas muris admotas aggreſſores ingredi conarentur, a Gallis maxima clade caſtigati ad vallum, negotio infecto, revertuntur. Sæpius hunc ad modum, ſed fruſtra oppugnata urbe; majoribus tormentis, cuniculiſque muros ſubvertere, ut facilius pateretur aditus, tentavit; verum cùm ejus conatus irriti cecidiſſent, et urbis vi potiundæ ſpem omnem abjeciſſet; undique intercluſis viis, quibus commeatus obſeſſis ſufficiebatur, eos ad tantam rerum inopiam

piam redigere ſancivit, ut ad deditionem cogerentur. Hoc ſtatu res ad Montalcinum cum eſſent; ad Cardinalem Paciechum, qui emortuo Toletano (1) ſucceſſerat, delatum; Turcicam Claſſem Dragute Duce curſum Italiam verſus tenere: quo tempore Garzias, ut tuendæ oræ maritimæ curam ſuſciperet, in Regnum exhauſtum milite revocatur, obſidioque ſolvitur. Neque tamen ob id a moleſtiis liberi Senenſes evaſere; etenim Joannes Jacobus Medices Mariniani Marchio genere, factiſque clarus, cum ſub initium MDLIV. Cæſarea arma Florentinis conſociata in Senenſium ditionem duxiſſet, et levia prælia cum Gallicis copiis, quarum cura Petro Strotio egregiis factis ad eam diem invicto Duci fuerat demandata, conſeruiſſet; tandem IV. Non. Sextilis iterum belli aleam experiri ſtatuit. Acriter ergo inter utrumque exercitum decertatum, variante hinc inde fortuna; exitus tamen pugnæ fuit, ut maxima clade Gallicus peditatus fugaretur, luctuque, et ſtrage omnia complerentur. Cæterum eo in conflictu mira Strotii effulſit virtus, ac optimi Ducis munus egit; at ut ſe ab equitatu, qui ſub initium certaminis turpi fugæ ſe dederat, illuſum, ſuaſque res omnino fractas cognovit; ne in hoſtium manus incideret ſalutem fuga quæſivit, et levibus ſaucius vulneribus Montalcinum cum paucis citato itinere ſe recepit. Fortunæ ſucceſſu elatus Marinianus Senas victrices copias eduxit, qua in obſidione non pauca intolerandæ crudelitatis exempla edidit; eò enim ſævities agitavit, ut plerique fame oppreſſi urbe emigrantes aut trucidarentur, aut ad proprios lares remeare adigerentur: cùmque aliquando obſeſſi ob maximam rerum inopiam pueros in Noſocomio degentes urbe ejeciſſent, Mariniani auxiliis deſtituti huc atque illuc errantes fame conſumpti, aut ferarum dentibus dilaniati miſere perierunt. Senenſes interea ad octo menſes obſidione forti animo tolerata; fame tandem rebus cæteris periculoſiore urgente, auxiliiſque Gallorum a Strotio pollicitis diem de die trahentium deſperatis, fortunæ cedere coacti, IV. Nonas Aprilis

(1) Toletanus facta expeditione, ut exercitus indigentiis, incertiſque fortunæ caſibus, ſi opus foret, præſto eſſet, Piſas adnavigavit, deinde Florentiæ apud Coſmum Ducem, cui filiam ſuam Eleonoram deſponderat, conſedit; ibique paucos poſt dies maxima Neapolitanorum lætitia, quibus erat formidini, diem clauſit extremum.

Digitized by Google

prilis honeſtis conditionibus Cæſareis urbem ceſſere ; et Galli militari modo pulſatis tympanis, explicitiſque vexillis XI. Kal. Majas emigravere. Rebus in hunc modum compoſitis, Carolus Senenſem ditionem jure Imperii ad ſe devolutam Philippo filio Hiſpaniarum Regi tradidit, et hæc biennio poſt fuit ab ipſo Philippo Coſmo Florentiæ Duci in Feudum ligium conceſſa.

Simulacra infantium Romæ conditorum ſub uberibus lupæ inſpiciuntur in argenteo decimo quarto. Epigraphe iſta circumſtat R. P. SEN. IN MONTE ILICINO *Reſpublica Senenſis in Monte Ilycino*. Deſignatur quoque tempus, quo fuit hic nummus cuſus, anno ſcilicet 1557. Alterius partis medium ſcutum tegit, in quo hæ ſiglæ S. P. Q. S. *Senatus, Populuſque Senenſis:* limbus inſcribitur his vocibus HENRICO II. AVSPICE. XIV.

Anterior pars ſubſequentis argentei nummi Deiparæ illuſtratur imagine, cum hiſce circumpoſitis vocibus TVO CONFISI PRAESIDIO. Poſterior oſtendit lactantem lupam, pueruliſ ibi jactentibus, cum hac inſcriptione R. P. SEN. IN. M. ILICI. HEN. II. AVS. 1558. *Reſpublica Senenſis in Monte Ilycino Henrico ſecundo Auſpice* 1558. XV.

Argenteus poſtremus majoris formæ eodem anno obſignatus exhibet tum in antica, cum in poſtica eaſdem imagines, et inſcriptiones, neque indiget explicatione. Sena a Cæſareis armis, uti ſupra innuimus, occupata, principes Senenſium familiæ Montem Alcinum Gallico firmatum præſidio commigrarunt, factiſque inter ſe Magiſtratibus, ac Judicibus, Rempublicam Senenſem ea in urbe fixerunt: quo tempore tres evulgatæ monetæ cuſæ ſunt. Pace tandem inter Philippum, et Henricum conciliata anno MDLIX. Montalcinenſes, cum ſe auxiliis deſtitutos, et Florentinis armis impares agnoſcerent, ampliſſimis, honorificiſque impetratis conditionibus Coſmo ſe dedidere. Et hic Reipublicæ Senenſis finis fuit; neque id accidiſſe mirandum; civilibus enim fermè ſemper dilaniata diſcordiis, tandem ut Romanæ contigit, alterius imperio parere redacta eſt; varia equidem rerum humanarum ſors, et parum fida. XVI.

TEATES.

UNum tantum hìc damus æreum nummum a Teatina urbe ob-

I. obſignatum anno MCCCCXCV. Exhibet hic in area anterioris partis Crucem cum quatuor roſis in ejus angulis diſpoſitis, et in circulo inſcriptionem CIVITAS TEATINA: in poſterioris medio Francorum Regum inſignia, literis in gyrum poſitis KROLVS D. G. R. FR. SI. *Carolus Dei gratia Rex Francorum Siciliæ*. Carolus VIII. Francorum Rex cum quartum et vigeſimum attigiſſet annum, gloriæ deſiderio, et imperii fines dilatandi captus Neapolitanum Regnum ſibi debitum (1) occupare cœpit meditari. Ad tantum peragendum opus acceſſerunt quoque Ludovici Sfortiæ Ferdinando tunc Regi ſummopere infenſi (2) petitiones, et promiſſa, quæ in ſpem Regni facilius conſequendi mirum in modum Gallum attraxerunt. Anno ergo MCCCCXCIV. Carolus in Italiam deſcendens, ſub poſteri initium Neapolim properavit, et decem dierum tantum ſpatio totum fermè Regnum in ſuam redegit poteſtatem; quo tempore a Teatinis in ejus cultum nummus cuſus eſt.

VENETORUM DUCUM.

HAbes in primo nummo aureum Ducatum Venetum vulgo
I. *Zecchino* ſub Andrea Contareno cuſum, qui fuit Ducali purpura

(1) Joanna II. Neapolis Regina prole carens Alphonſum Aragoniæ, et Siciliæ Regem in filium adoptavit, & Regni hæredem conſtituit: verùm progreſſu temporis exortis inter Alphonſum, et Reginam diſcordiis; ejuſdem antiquata adoptione, in Ludovicum Andegavenſem Ducem, et eo non multo poſt functo in Renatum ejus fratrem tranſtulit, maxima hercle Aragonenſis injuria; qui poſt Joannæ exceſſum in Andegavenſem Regni poſſeſſorem duxit exercitum, et poſt varios belli caſus ad proprios lares remeare coegit. Renato fatis functo anno MCCCCLXXXI. ejus hæreditatem ſibi aſſeruit Ludovicus XI. Francorum Rex, ex quo natus eſt Carolus, qui Renati jura repeturus arma comparavit.

(2) Ludovicus Sfortia aura dominandi elatus, Joannem Galeatium nepotem Mediolani Ducem, cui uxor erat Iſabella Alphonſi ex Ferdinando nati filia, principatu deturbare animo volvebat; quod cum Ferdinando innotuiſſet, minacibus litteris ab inſano propoſito Ludovicum dimovere nitebatur; ipſe vero Ferdinando regnante cum uſurpare nepoti imperium non auderet, eum deperdere omni arte ſtudebat, et Carolum in Italiam trahere conabatur.

Digitized by Google

SENARUM

TEATES

VENETORUM DUCUM



L

VIGEVANI

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

ra condecoratus XIII. Kal. Februarii MCCCLXVII. Exponit hic in prima fronte Ducis imaginem flexis genibus vexillum a Divo Marco accipientis, cum inſcriptione S. M. VENETI. ANDR. CONTAREN. DVX. In averſa Salvatorem noſtrum ſtantem dextera benedicentem, ſiniſtra Evangeliorum librum ſuſtinentem, ad latera hinc quatuor ſtellis, illinc quinque, et a duabus ovalibus lineis circumdatum, cum hac in limbo exarata epigraphe SIT. T. XPE. DAT. Q. T. REGIS ISTE DVCAT., quæ ſiglæ ſic exponendæ. *Sit tibi Chriſte datus, quem Tu regis iſte Ducatus.* Primum id genus Monetæ fuit ſub Joanne Dandulo (ut habetur in Faſtibus Ducalibus Marini Sanuti apud Muratorium Tom. XXII. Rer. Italic. Script. col. 400.) anno MCCLXXXV. fabricatum; quo tempore pro tribus tantum Venetis libris expendebatur. Verum collabentibus annis adeo Ducatus aureus in numero ſolidorum adauctus, ut ſub initium imperii Contareni pro libris tribus, et ſolidis quatuordecim, et mortis ejus tempore, quæ contigit Nonis Junii MCCCLXXXII., pro libris quatuor, et totidem ſolidis computaretur. Hodie verò adeo immane ſubiit incrementum, ut decreto Principis duabus et viginti libris in pretio correſpondeat.

Secundus ex puro argento conflatus nummus oſtendit in antica parte Ducis ſtantis effigiem, ambabus manibus vexillum ſuſtinentis, verbis in gyrum poſitis TOM*as* MOCENICO DVX; pone Ducem ſtellam, et ſiglam V. In oppoſita inſculptus appareret Venetus alatus leo cum Evangeliorum libro; addita inſcriptione S. MARCVS. Fuit Thomas ad Ducale ſolium evectus anno MCCCCXIII., et poſt decem regiminis annos e vita exceſſit. Expoſitus nummus illo ævo Solidus vocitabatur, quorum viginti libram, et centum Ducatum aureum conſtituebant; aureus enim Ducatus Mocenici temporibus pro libris quinque expendebatur. II.

VIGLEVANI.

IN hoc argenteo nummo repræſentatur Triultiorum ſtemma cum circumducta inſcriptione IO. IA. TRI. MA. VIGLE. MARESCAL. FRAN. *Joannes Jacobus Trivultius Marchio Viglevani Mareſchaleus Franciæ.* Præfert poſtica Sancti Georgii ſtantis I.

Digitized by Google

imaginem, lanceam in draconis gulam immittentis, cum lemmate SANCTVS GEORGIVS. Joannes Jacobus Triultius armis clarus a Ludovico XII. Militiæ Gallicæ Moderator conſtitutus, cum fortem in expellendo e Mediolanenſi Ducatu Ludovicum Sfortiam navaſſet operam, fuit ei in præmium virtutis ab ipſomet Rege Viglevanum agri Mediolanenſis oppidum in Feudum aſſignatum, quo tempore hoc in loco monetæ primùm cuſæ ſunt. Deceſſit Triultius anno MDXVIII., et ejus corpus maxima cum pompa apud Sanctum Nazarium Mediolani tumulatum.

I. Dabimus ultimo loco auream monetam paucis ab hinc diebus a nobis acquiſitam, et eo tempore cuſam, quo Galeatius Maria Sfortia Mediolani Dux Januenſes res moderabatur. Perhibet hæc in circuli ſummitate Serpentem Vicecomitum, inde Sfortianæ gentis ſymbolum, ſubſequentibus vocibus G. S. DVX MEDIOLANI D. IAN. *Galeatius Sfortia Dux Mediolani Dominus Januæ*. In averſæ area eminet Crux, circum quam hæc verba CVNRADVX REX ROMANO*rum*. De Galeatio egimus pag. 49; alia dicenda forent; ſed tempus eſt, ut vela contrahamus.

Digitized by Google

INDEX

NOMINUM, ET RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Dissertatione continentur.

A

ALexander Mediceus Florentiæ Dux per proditionem occiditur. pag. 73.
Alexandria Palearis quando, et a quibus condita. 3. A Friderico Ænobarbo frustra obsessa *ibid.* Ejus Monetæ. Tab. I.
Aloysius Farnesius Dux Parmæ, et Placentiæ ob ejus scelera trucidatur. 70.
Alphonsus Aragonum Rex a Genuensibus bello captus et Mediolanum missus a Philippo Maria Duce honorificè excipitur, et splendidè donatur. 31. Cum Renato Andegavensi bella gerens, pecunia carens auream statuam Sancti Michaelis Archangeli in nummos convertit. 65.
Alphonsus Dux Ferrariæ III. Regium recuperat. 82., et Mutinam. 58.
Amedeus VIII. Dux primus Sabaudiæ in Pseudopontificem eligitur. 88. Sponte dignitatem dimittit. *ib.*
Anconæ Monetæ. Tab. I. Qua arte ab Aloysio Gonzaga, et Bernardino Barba occupatur. 7.
Annibal ex Abbatibus Oliverius laudatus. 79.
Annibal Bentivolus ope amicæ Factionis Bononiam recuperat. 15. A Julio II. bello petitus Ferrariam se recipit. 16.
Antonius Montecatinus Ferrariensis a Bonifacio IX. Perusiam missus, ut Cives ab Ecclesia descitos ad fidem redigeret. 75.
Aquilanæ monetæ sub Ludovico Andegavensi, et Ladislao Neapolis Rege cusæ. Tab. II.
Arretii Monetæ. Tab. II.
Arretini in potestatem Florentinorum deveniunt. 10. In libertatem se vindicant. 16.
Asculi Monetæ. Tab. II.
Asta a Friderico Ænobarbo solo æquata. 10. A Civibus reædi-

Digitized by Google

ficata quibus paruerit Dominis. 13. Quomodo, et quando in poteſtatem Ducum Sabaudiæ devenerit. *ib.* Ejus Monetæ. Tab. II.
Azo Eſtenſis Dominus Mutinæ a Civibus expulſus. 57.

B

Bergomum a quibus conditum. 13. Quando ſub Venetorum poteſtate eſſe cœpit. *ib.* Ejus monetæ ſub Friderico II. Imperatore obſignatæ. Tab. III.
Bernabos Vicecomes callida arte a nepote captivatur. 47. Veneno extinguitur *ib.*
Bononiæ Monetæ. Tab. III. IV.
Bononienſes graviter in æneum Julii II. ſimulacrum inſæviunt. 15.
Brachius Fortebrachius Peruſiam occupat, et in Principem eligitur. 75. Dum Aquilam obſidet, ſaucius interiit. 76.
Brixillum, quando funditus everſum. 19. Antiquitus ſuos Epiſcopos habuit 21. Ejus Arx ab Hercule II. Eſtenſi condita, a Galliſpanis diruitur. 20. Ejus monetæ. Tab. IV.

C

Calaris quando in poteſtatem Ducum Sabaudiæ devenerit. 22. Ejus Monetæ. Tab. IV.
Camerinum a Paullo III. recuperatur. 23. Ejus Monetæ. Tab. IV.
Caroli V. Imperatoris ortus 65. Bononiæ Imperiali corona inſignitur. 18. Imperium ſponte dimittit. 72.
Carolus VIII. Francorum Rex Neapoli potitur. 98.
Carolus II. Sabaudiæ Dux ab armis Gallicis preſſus exulare uſque ad mortem cogitur. 90.
Carolus Dux Guiſiæ Gallici exercitus Præfectus in Neapolitano Regno bella gerit. 86. 87.
Carolus Guido Bentivolus naſcitur, et ſumma cum ſolemnitate in proprio Palatio ſacro lavacro aſpergitur. 16.
Caſtrum Aloyſio Farneſio cum Ducis titulo a Paullo III. in Feudum aſſignatur. Ejus Monetæ. Tab. V.
Cremonæ Monetæ. Tab. V.
Comi Monetæ. Tab. V.
Corpora S.S. Martyrum Chryſanthi, et Dariæ Regium translata. 84.

Du-

Digitized by Google

D

Ducatus aureus Venetus vulgo *Zecchino* ſub Joanne Dandulo primùm cuditur. 99. Ejus antiquus valor exponitur. *ib.*

E

Epiſcopus Terracinæ Peruſiæ decapitatur. 77.

F

Fani Fortunæ Monetæ ſub Pandulpho Malateſta cuſæ. Tab. V.
Ferdinandus Hiſpaniarum Rex Catholici titulo ab Alexandro VI. condecoratur. 65.
Ferdinandus Neapolis Rex argenteum S. Michaelis Archangeli Simulacrum in monetas convertit. 65.
Ferdinandus Carolus ultimus Mantuanorum Dux Principatu expulſus Patavii moritur. 44.
Ferdinandi Gonzagæ geſta, et mors 39.
Ferraria ab Herculè I. Duce II. ampliata, et muris circumvallata. 26. Ab Auſtriacis armis anno 1708. gravi obſidione premitur. 29. Ejus Monetæ ſub Eſtenſibus, ac Pontificibus cuſæ. Tab. V. VI.
Firmi Monetæ. Tab. VI.
Florentini Carolo V. Imperatori ſe ſubdunt. 39.
Franciſcus Sfortia in Ducem Mediolani eligitur. 49.
Franciſcus Marchio Mantuæ IV. a Venetis, Julio II., et Cæſare armorum Capitaneus Generalis declaratur. 38.
Franciſcus Mantuanorum Dux II. Catharinam Ferdinandi Romanorum Regis filiam matrimonio ſibi jungit. 43.
Franciſcus Cardinalis Alidoſius Bononiæ Legatus renunciatur. 15. Ab Urbinate Duce Ravennæ trucidatur. 16.
Fridericus Marchio Mantuæ V. a Carolo V. Ducali dignitate inſignitur. 41.

G

Galeatius Maria Dux Mediolani a Conjuratis in templo S. Stephani occiditur. 49.
Galeottus Picus Patruum ante Crucifixi imaginem orantem occidit. 52.
Garzias Cæſarei exercitus Præfectus occupare tentat Montalcinum, ſed fruſtra. 95.

Digitized by Google

Genuæ Monetæ. Tab. VI.
Genuenſes Philippo Mariæ Mediolani Duci ſe ſubdunt. 31. Ab ipſo deficiunt. *ib.* Ab Alphonſo Neapolis Rege gravi bello petiti Ludovico XI. Francorum Regi ſe dant. 32. In Franciſci Sfortiæ poteſtatem deveniunt. *ib.*
S. Geminianus a Mutinenſibus Epiſcopus ſalutatur. 60. Ejus corpus maxima cum ſolemnitate in novam Baſilicam a Mutinenſibus excitatam transfertur. 61.
S. Gineſius Brixilli Epiſcopus, ac Patronus. 21.
Guilelmus Marchio Montisferrati ab Alexandrinis captus in cavea ferrea includitur, ibique moritur. 4.

H

Henricus II. Gallorum Rex Senenſes in clientelam ſuſcipit. 95.
Hercules II. Dux Ferrariæ a Paullo IV. Eccleſiæ Capitaneus Generalis deſignatur. 85.
Herculis Cardinalis Gonzagæ geſta, et mors. 39.
S. Himerii Corpus Ameria Cremonam a Luitprando Epiſcopo deportatur. 25.

I

Joanna Mater Caroli V. omnia ſui juris Regna filio cedit. 66.
Joanna I. Neapolis Regina Clementi VII. Antipapæ adhæret. 7. turpi morte periit. 8.
Joannes Galeatius Dominus Mediolani a Wincislao Imperatore Ducis titulo condecoratur. 47.
Joannes Maria Mediolani Dux ob ejus ſævitiam trucidatur. 47.
Joannes Cardinalis Medices Bononienſi Legatione fungitur. 16. In bello apud Ravennam geſtum captus. 17. Ab hoſte ſe eximit, et Pontifex cum nomine Leonis X. eligitur. *ib.*
Joannes Rondinellius Ferrarienſis Epiſcopus Comaclenſis ſacris luſtralibus aquis Guidonem Carolum Bentivolum abluit. 16.
Joannes Jacobus Triultius Mirandula potitur. 52. Ob res fortiter geſtas a Ludovico XII. Francorum Rege Viglevanum ei in Feudum conceditur. 100.
Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus a Galeotto nepote occiditur. 52.
Joannes Baptiſta de Monte ad Mirandulam in quadam velitatione periit. 72.

Digitized by Google

Joannes Medices Militiæ Ceſareæ Præfectus Senas gravi obſidione cingit, et occupat. 96.

L

Lavaniæ Comitum Monetæ. Tab. VI.
Lucæ Monetæ. Tab. VII.
Lucenſes a Carolo IV. Imperatore in libertatem aſſerti. 33. quando, et quomodo S. Crucifixi imago Lucam translata. 34.
Ludovicus Sfortia Mediolani Dux a Gallicis armis Principatu expulſus. 50.

M

Macerata, quando, et a quibus fundata. 35. A Nicolao II. celebri Scientiarum Gymnaſio condecoratur. 36. Quando jus cudendæ pecuniæ obtinuerit. 37. Ejus Nummi. Tab. VII.
Margarita Caroli V. ex contubernio filia Alexandro Florentiæ Duci deſponſatur. 73. Inde Octavio Farneſio. 24. Belgii moderatrix conſtituta. 73.
Mantua, quando, et a quo jus Zecchæ impetraverit. 37. Primi ejus Numini ad ſcyphi formam fabricati. *ib.* Ad Auſtriacam Gentem translata 44. Ejus Monetæ. Tab. VII. VIII.
Maſſa Lombardorum quando, et a quo jure Zecchæ donata. 45. Ejus Nummi ſub Franciſco Eſtenſi cuſi. Tab. IX.
Mediolanum in poteſtatem Vicecomitum venit. 46. Franciſco Sfortiæ ſe ſubdit 49. Ab armis Ludovici XII. Francorum Regis occupatur. 50. Poſt mortem Franciſci II. a Carolo V. ſacro Imperio adjudicatur. *ib.* Ejus Monetæ. Tab. IX. X.
Mirandula a Julio II. occupata Joanni Franciſco Pico traditur. 52. Ejus Monetæ. Tab. XI.
Montis Ferrati Monetæ. Tab. XI. Ejus Ditio ad Gonzagas translata. 55.
Mutina ſub Eſtenſium poteſtate redacta 57. A Franciſco III. Duce reſtaurata, et ſplendidis ædificiis exornata. 58. In ejus cultum marmorea equeſtris Statua a Civibus excitatur. *ib.* Ejus Nummi Tab. XII.
Mutinenſium victoria de Bononienſibus ad Zapolinum 57.
Mutinenſis Libræ diverſi valores enuntiantur. 59.

Digitized by Google

N

Neapolis, et Siciliæ Monetæ. Tab. XIII.
Neapolis Regnum a Normannis occupatum. 61. Ad Suevos translatum. 63. Ad Auſtriacam Gentem jure hæreditatis devenit. 66.

O

Octavius Farneſius a Paullo III. Parmæ Dux renunciatus. 71. In clientelam Henrici II. Galliarum Regis ſe tradit. 72. A Julio III. bello preſſus tandem in Parmæ poſſeſſione confirmatur. *ib.*
Otho Imperator ſe ipſum Brixilli pugione confodit; ibique tumulatur. 19.

P

Papiæ Monetæ. Tab. XIII.
Parmæ Monetæ. Tab. XIV. Quando in Eccleſiæ poteſtatem devenerit. 68. Parmenſis Libræ diverſi valores expohuntur. 67. 68.
Paullus III. Niceam ſe confert pacem inter Carolum V., et Franciſcum Francorum Regem conciliaturus. 90. Peruſinis frænum imponit, et Arcem ad compeſcendos eorum motus extruit. 77.
Paullus V. Burgheſius Arcem Ferrariæ maxima pecuniæ vi a fundamentis excitat, abſolvit, et Tormentis inſtruit. 28.
Peruſia ab Auguſto reædificata, et *Auguſta* dicta. 73. A Ludovico Caroli Magni filio Paſchali Pontifici, et ejus Succeſſoribus libere conceditur. 74. Ejus Monetæ. Tab. XV.
Peruſini ab Eccleſia deficiunt. 74. 75. 76. 77.
Petrus Aloyſius Farneſius in Ducem Parmæ, et Placentiæ a Paullo III. eligitur. 69. A Civibus ob ejus ſcelera confoditur. 70.
Petrus Strotius ad tuenda Senenſium jura ab Henrico II. Gallorum Rege mittitur. 96. A Joanne Jacobo Mediceo Cæſarei exercitus Præfecto profligatur. *ib.*
Petrus Toletanus Prorex Neapolis Florentiæ moritur. 96.
Philippus Maria Mediolani Dux Genuenſes ſuo imperio ſubdit. 31.
Philippus Hiſpaniarum Rex in Herculem Ferrariæ Ducem arma infert. 87. Herculi pacem dat, & in gratiam recipit *ib.* Placentiam Octavio Farneſio reſtituit. 73.

Piſa-

Digitized by Google

Piſarum Monetæ. Tab. XV.
Placentiæ Monetæ. Tab. XVI.

R

Regium ab Julio II. occupatum. 81. Ab Alphonſo Duce recuperatum. 82. Ejus Monetæ. Tab. XVI. XVII.
Regienſes in honorem B. M. Virginis Gratiarum magnificum Templum ædificant. 83.
Robertus Neapolis Rex a Clemente V. Eccleſiaſticæ Ditionis Rector in Italia deſignatur. 64.
Rodulphus Balionus Perusia per inſidias potitur. 77. Ab armis Paulli III. preſſus urbe ſe abdicat. *ib.*
Roma ab armis Caroli V. occupata, et fœde depopulata. 18.

S

Sabaudiæ Monetæ. Tab. XVII.
Salutiarum Marchionum nummi. Tab. XVIII.
Sarzana, quando fuerit Epiſcopali dignitate condecorata. 35.
Scipio Cardinalis Burgheſius, quando ad Ferrarienſem Legationem acceſſerit. 27. Ejus ſumma vigilantia in procuranda ex agro Piceno annona. 28.
S. Secundus Aſtæ martyrio coronatur, et ab Aſtenſibus in Patronum eligitur. 12.
Senarum Monetæ Senis, ac in Monte Alcino cuſæ exhibentur. Tab. XVIII. XIX.
Senenſes fame preſſi Carolo V. ſe ſubdunt. 97. Deinde Coſmo Mediceo Florentiæ Duci. *ib.*
Simeon Buccanigra Dux Genuenſium primus a Populo acclamatus 29. ut ſuæ ſaluti conſuleret, dignitatem ſponte dimittit. 30. Iterum in Ducem eligitur. *ib.* Veneno e medio tollitur. *ib.*

T

Teates Monetæ ſub Carolo VIII. Francorum Rege cuſæ. Tab. XIX.

V

Venetiarum Monetæ. Tab. XIX.
Viglevani Nummi Jo. Jacobi Triultii nomine inſcripti. Tab. XIX.

Digitized by Google

Die 19. Maji 1774.

IMPRIMATUR

F. Aloysius Maria Ceruti O. P.

Vicarius Generalis Sancti Officii Ferrariæ.

Die 19. Maji 1774.

IMPRIMATUR

Thyrsus Can. Pagliarini Vicarius Generalis.

Digitized by Google

VINCENTII BELLINI
FERRARIENSIS
DE MONETIS ITALIÆ
MEDII ÆVI
HACTENUS NON EVULGATIS,

QUÆ IN SUO MUSÆO SERVANTUR

UNA CUM EARUNDEM ICONIBUS

DISSERTATIO

Nunc primùm in lucem emittitur.

Digitized by Google

Digitized by Google

VINCENTIUS BELLINI
FERRARIENSIS

LECTORI BENEVOLO
S. D.

NE mireris amice Lector, quod ego nullius litteraturæ homo de nummis priscis temporibus in Italia percussis ausus sim disceptare, cum constet non paucos ævo hoc nostro eruditissimos clarissimosque Viros, Muratorium scilicet, Argelatum, aliosque in iisdem evulgandis feliciter desudasse. Quid ergo, inquies, exiguas post largissimam aliorum vindemiam dispersos hinc inde racemos colligere opus est? At scito me ab ineunte ætate acri naturæ impulsu Imperatorum Romanorum Numismatum, ac Monetarum studio impense operam navasse, nummosque non paucos ex omni metallo in Italiæ nostræ officinis barbaris sæculis signatos, nullis parcendo expensis, longo labore ac tempore congessisse; quibus in perscrutandis, ac diligentius examinandis cum ultrà centum, qui ad horum præstantissimorum virorum manus non venerant, & a nemine hactenus, quod sciam, evulgatos conspexissem, huic tam eleganti doctoque studio deditis rem gratam facturum, si publicæ luci mandassem, meditabar. At ab ingenii mei tenuitate in diversa trahebatur animus, nec sane provinciam hancce sumpsissem unquam, ni mihi stimulos, animosque addidisset eximius Vir Philippus Argelatus monetarum studio addictissimus, cujus diligentia assiduisque curis, ut quamplurima antiquitatis monumenta vel aucta, vel enucleata typis denuo mandarentur, aut tenebris consepulta exoptatum lumen assequerentur, effectum est. Tanti ergo Viri inhærens curæ opus aggrediar, nummosque, absque tamen ullo verborum fuco, sed simplici stylo juxta vires ingenii mei explicare conabor, & ne inelegans omnino Lectori enarratio contingat, historiolis exornare duxi, quæ licet eruditissimis viris supervacaneæ judicari possint, minus tamen doctis non inutiles easdem fore autumo. Lucubratiunculam hanc ergo, qualiscumque ea sit, meo tamen marte elaboratam, æquo animo accipe benigne Lector, & si quæ minus rectè exposita, aut parum eleganter explicata videbuntur, da veniam; hominem quippe me esse novi, qui errare potui, nec errata defendam, at felicioribus potius atque eruditioribus ingeniis corrigenda relinquam. Vale.

DE

Digitized by Google

DE MONETIS ITALIÆ MEDII ÆVI HACTENUS INEDITIS.

ANCONÆ.

DE nummis hucusque a nemine, quod sciam, evulgatis brevi tractaturus, ab Urbibus juxta Alphabeticum ordinem, neglecta temporum serie, quibus jure cudendi donatæ sunt, exordiar. Quocirca mihi primo se se offerunt loco sex Anconæ signati, quorum explanationem hic exhibeo. I. Primus ergo argenteus nummus refert in margine hanc inscriptionem P. P. S. QVIRI in area A. C. V. S litteris in formam crucis dispositis. Is est *Sanctus Quiriacus* Anconitanæ Urbis Protector. Illæ duæ litteræ P. P. quamvis alibi significent PAPA in hoc tamen nummo secus interpretandæ sunt, hoc est, ut censeo, *Perpetuò Patronus*, seu *Perpetuò Protector*. Nullus enim in Pontificum Cathalogis hujus nominis occurrit Pontifex, toto cœlo aberrante Scriptore, qui in Virginum narratiunculis Sanctam Ursulam a Quiriaco Pontifice in itinere fuisse comitatam evulgavit, enarratione uti fabulosa a viris doctissimis refutata. In gyro aversæ partis Equulus inspicitur pars Urbis stemmatis (hujusce enim Urbis Tessera Vir est cataphractus equo insidens) quem subsequuntur litteræ DE ANCON, & in area A, cujus superior, & inferior pars non secus ac latera a quatuor asteriscis circumdantur. Argenteus alter ejusdem ponderis, & cum eadem inscriptione, diverso tamen typo percussus, in meo scrinio delitescit nummus, Equulo nempe demto, & pro quatuor stellulis circum A, tribus parvis rosis ad latera, & infra dispositis.

In limbo secundi nummi argentei ære II. mixti circumstant litteræ SCS QVIRI in medio CVS scilicet *Sanctus Quiriacus*. Altera ex parte in area Crux his vocibus circumcincta DE ANCONA. Nummus hic haud multum differt ab evulgato a Clarissimo Muratorio sub Num. I. demtis litteris SCS pro duobus P. P. in illo observatis.

In antica tertii ærei nummi ostenditur Crux, & epigraphen EPS. S. QVIRIA- III. CVS, hoc est *Episcopus Sanctus Quiriacus*. In postica legitur in circuitu DE ANCONA, & in medio stat A gothico excalpta charactere, parvis cum circulis superius, ad latera, & infra dispositis. Hujusce sanè nummi inspectio sicuti & quinti satis probat falsissimum esse, Sanctum Quiriacum Anconitanæ Urbis Protectorem fuisse Summ. Pontificem; litteræ enim EPS. EP. hoc est *Episcopus* omnem auferunt ambigendi locum.

Quartus æreus nummus Crucem præfert, & epigraphen P. S. QVIRIACVS; IV. nempe *Protector Sanctus Quiriacus*. In aversa facie DE ANCONA, & in area A. Alterum æreum adservo nummum eadem insignitum inscriptione, at cum diversa Cruce, & cum duobus P: P:

Quintum argenteum nummum stantis Episcopi illustrat imago, dextera benedicentis, V. sinistra pro pastorali virga Crucem sustinentis cum inscriptione EP. S. QVIRIACVS. At quid de Sancto Quiriaco dicendum est, quod prius non dictum sit? Postica Crucem ostendit, & lemma: DE ANCONA.

Ad Sæculum XV uti ex characteribus dignoscitur, spectat sextus æreus nummus. Repræsentat hic Sanctum Episcopum stantem, elevata dextera actu benedicendi, sinistra pedum tenentem, additis in circuitu his vocibus EP. S. QVIRIACVS. A tergo VI. binas claves decussatas sparso funiculo alligatas cum litteris ANCON. D. CIVITAS FI scilicet *Ancon Dorica Civitas fidelis*. Sane Anconitani a Doricis Urbem fuisse conditam arbitrantur ex illo Juvenalis hallucinati versiculo:

Ante Domum Veneris, quam Dorica sustinet Ancon.

At Plinius, Strabo, aliique prisci, & fide digni Auctores a Syracusanis Dionysii Tyrannidem fugientibus conditam fuisse scripsere. Leander porrò de Albertis hasce Scriptorum auctoritates sic conciliari posse opinatur,

Digitized by Google

natur, a Doricis scilicet, a fundamentis erectam, a Syracusanis auctam. Cæterum quidquid de hoc sit, Urbem hanc in ditione fuisse Romanorum, quamdiu illorum stetit Imperium, dein Gothis, & Longobardis paruisse, ex historiis abundè colligitur. A Saracenis dein incensa, & a Civibus paulatim instaurata in sua potestate esse cœpit, salvo tamen clientelari jure Pontifici Romano (ut e clavibus decussatis in hac aliisque hujus Urbis excalptis monetis evincitur) cui semper Cives obedientiam, fidelitatemque præstitere. At cum Clementis jussibus parêre renuissent, Lodovici Gonzagæ Pontificiarum Legionum Præfecti, nec non Bernardini Barbæ Casalensis Episcopi artibus, ea, qua fruebantur libertate, anno ab Orbe redempto MDXXXII. meritò spoliati sunt.

I.

II.

III.

IV.

V.

VI.



ARIMINI.

MOnetis ab Officina Anconitana percussis jam explicatis, Arimini signatæ succedunt, quarum prima rarissima ærea, est pauculo argento admixta cum inscriptione in margine DE MALATESTIS, & in area tres litteræ K. P. M. tribus asteriscis interpositis; pro quarum explanatione hæc fore attendenda non inficior. Galeottus de Malatestis Arimini, aliarumque Urbium Dynasta, quatuor filios procreavit, Carolum scilicet, Pandulphum, Andream, qui proprio neglecto nomine Malatesta de Malatestis communiter dictus est, & Galeotum Novellum. Galeoto anno post Christum natum MCCCLXXXV. e vivis sublato, tres filii superstites (Galeotus enim Novellus vivente Patre obierat) in dominatu successere. Carolus major natu Arimini sortitus est, Pandulphus Fanum, Malatesta Cæsenam, additis unicuique aliis Civitatibus, & Oppidis pro sua portione, hisce interpositis pactionibus, ut quo ad Civilem agendi modum, ac bonum totius Dominii regimen, unica, & conformis esset voluntas, ac sollicitudo; Ideircò intellige expositum nummum unanimi consensu percussum: K. pro Carolus, P. Pandulphus, M. Malatesta litteris interpretatis. Inscriptione in margine aversæ partis exesa, in area repræsentatur Sancti Martyris detrita imago dextera palmam gerentis, quam Sancti Juliani ex tertio nummo infra explicando esse conjicio. I.

Alterum quamvis detritum ad Malatestas spectantem æreum nummum exhibeo, cujus area corrosa præfert in ambitu DE MALATESTIS. In adverso, cujusdam Sancti apparet Protome, & in gyro littera S inter duos circulos: reliquas legere non potui, nec conjectura assequi; cæterum scitè facies expressa. II.

Tertius æreus nummus ex una parte Sanctum evincit Martyrem palmam dextera sustinentem cum inscriptione S IVLIANVS. In altera stat Crucicula octo radiis aream to- III.

Digitized by Google

tam occupantibus circumdata, & epigraphen S. P. D. ARIMINI, scilicet *Sigismundus Pandulphus Dominus Arimini*. Pandulphus, ut diximus in primo nummo, ex Galeoto natus militaris artis peritia præstans in castris Joannis Galeatii Mediolani Ducis ad primarias usque dignitates conscendit, quo vitâ functo, Brixia, & Bergomo dolo occupatis, cum per multos annos in iis imperium exercuisset, & tres Filios ex minus justis nuptiis Robertum, Sigismundum, & Dominicum, aliàs Malatestam Novellum suscepisset, a Carmagnola Philippi Mariæ Copiarum ductore (qui Joanni Mariæ fratri sanguinario a conjuratis meritò occiso successerat) armorum vi expulsus, cum filiis ad patrios lares perrexit. Pandulpho Anno Chr. MCCCCXXVI., & Carolo fratre triennio post e vivis ereptis, filio legitimo superstite ex Malatestis nemine, major natu Robertus in Arimini dominatu subrogatur, qui vix triennio completo morte præventus Sigismundum fratrem successorem reliquit anno partæ Salutis MCCCCXXXII. a quo hic nummus percussus est. Murat. Rer. Ital. Tom. XV.

Ad Sigismundum spectat etiam quartus hic æreus nummus, in cujus antica Sancti Episcopi stantis ostenditur imago dextera benedicentis, sinistra pedum tenentis cum IV. epigraphe S. GAVDENCIVS. Hic est Sanctus Gaudencius Ariminensis Urbis Episcopus, & Patronus. In posticæ gyro legitur S. P. D. ARIMINI; hoc est *Sigismundus Pandulphus Dominus Arimini*; in area visitur flos, seu rosa, quam judico Sigismundi symbolum; hæc enim inter cætera marmore insculpta cernitur in Divi Francisci Templo ab ipso Sigismundo Arimini condito Anno Gratiæ MCCCCL.

I.

II.

III.



IV.

ARRETII.

ARiminensibus hactenus descriptis nummis, proxima nunc erit cura, ab Arretinis percussos hìc exhibere. Ex hisce binos expono, æneum unum, argenteum alterum: utramque æneï faciem par implet Icon Tesseraria, in quâ seni observantur excalpti laterculi præstantissimæ Petramalæ Familiæ Insigne; Nummum sub Guidone militari potius virtute, quam Religione celebri percussum duco, qui Guillelmo de Ubertinis in Arretii Episcopatu, ac Dominatu successit Anno Christi MCCCXVIII., ut videre est apud Leandrum, qui in Arretii descriptione Guidonis etiam gesta in panca redegit. I.

Secundus argenteus nummus præfert in medio Sancti Episcopi faciem, & litteras circum exaratas S. DONATVS. Hic est II. Sanctus Donatus Arretii Episcopus, qui in persecutione Juliani Apostatæ a militibus comprehensus, cum Diis sacrificare renuisset, gladio percussus martyrium consummavit. Alterius partis medium occupat A gothico excalpta characterе parvis cum liliis supra, ad latera, & infra dispositis, cum litteris circumexaratis DE ARITIO. Cæterum Urbem hanc Coloniam, & Municipium Romanorum, unamque ex duodecim principibus Hetruriæ Urbibus fuisse, ex Plinio, & Livio perspicitur.

I.

II.

Digitized by Google

II.



ASCULI.

ASculum in Regni Neapolitani finibus ad Truentum amnem positum excusso Tyrannorum jugo ad Martinum V. anno MCCCCXXVI., ut colligitur ex Sebastiano Andreantonello in hist. Asculi lib. III. devenit. Inter cæteros in hac Urbe excalptos nummos visitur hic æreus argento mixtus, in cujus medio eminet Crux, & circum litteræ
I. P. P. S. EMIDIUS; hoc est *Perpetuò Patronus Sanctus Emidius*. Hic est Sanctus Emidius, qui a Sancto Marcello Pontifice Asculi Episcopus ordinatus, sub Diocletiano Imperatore abscisso capite martyrij palma coronatus est Anno CCCIX., ut habetur in Martyrologio ad diem quintum Sextilis. In secunda hujus nummi facie Turritum Ædificium excalptum cernitur duobus arcubus insignitum; designari Pontem nonnulli censuere, at ego Arcem duco hujusce Urbis Insigne; Anguis porrò ædificio supereminens Vicecomitum Gentilium stemma est, ut ex dicendis colligitur. Franciscus Sfortia Cottignolæ Comes percelebris illius ævi Dux, multis jam præliis gloriosus novo benevolentiæ genere a Philippo Maria Mediolani Duce in Vicecomitum familia, & filia sua Blanca Maria Notha septennio nata desponsata, receptus, & adoptatus est. A Socero Italiæ Imperium affectante simulata expeditione in Regnum Neapolitanum anno MCCCCXXIII. missus, ubi Picenum devenit, populis, vel timore perculsis, vel gratia devinctis, vel spe obligatis, plures illius Provinciæ Urbes, inter quas Asculum occupavit. At Eugenius IV. turbulentis illis temporibus Pontifex, ærario, & milite impar, dissimulata injurja, ut suis, & Ecclesiæ rebus consuleret, Picenum invasori beneficiario jure concessit, addito Marchionis titulo. *Blondus Histor. Decad. III. lib. V.*

BERGOMI.

BInos hic habes in Federici honorem a Bergomatibus percussos nummos, argenteum unum, æreum pauculo argento mixtum I.
alterum; repræsentant hi Imperatoris faciem laurea corona redimiti cum litteris I. M. P. R. T. FEDERICVS, scilicet *Imperator Federicus*. Non ad Federicum primum, ut ar- II.
bitratur Muratorius in nummis Bergomatibus, hi spectant, sed ad secundum, uti dignoscitur ex facie imberbe in iis excalpta cum Primus semper in numismatibus, ac monetis barbatus appareat, & a ruffa barba Ænobarbi cognomen promeruerit, mihi Palatio in Aquila Sveva pag. 6. adhærente. In posticis ædificium turritum supra montem positum cum litteris PGAMVM, nempe *Pergamum*; sic enim illo ævo Bergomates suam Urbem appellabant. Hosce sane nummos evulgavit Muratorius sub num. II., & III., at cum ædificia diverso typo in his percussa observentur, ut Lectoris curiositati indulgeam incidendos curavi.

I.

II.

BONONIÆ.

PRimi ærei pauculo argento mixti nummi totam aream occupat Urbis Insigne, cui I.
desuper eminet Anguis, Vicecomitum Icon Tesseraria cum epigraphe DE BONONIA. A tergo stantis Episcopi visitur effigies dextera benedicentis, sinistra Urbis typum sustinentis, & in limbo S. PETRONIUS. Bononia celeberrima Italiæ Urbs nullo prius subjecta imperio, Guelphorum tamen, & Ghibellinorum divisa in partes, nec non perniciosissimis Civium, popularium que diu agitata factionibus, paulatim tandem ea,

qua

Digitized by Google

qua utebatur libertate exuta est. Inter hosce tumultus Anno MCCCXXXVII. Pepulea prævalente factione, Taddeus illius gentis præstantissimus Vir, ad populares compescendos motus, regendamque Urbem a Civibus electus, undecimo Principatus anno nondum exacto naturæ concessit. Patri, Jacobus, & Joannes filii suffecti, a Nestore Romandiolæ Comite contra fas vexati, ut suis rebus prospicerent, Joanni Vicecomiti Mediolani Principi, ac Archiepiscopo, centum & septuaginta octo millium florenorum pretio suum in hanc Urbem jus anno MCCCL. vendidere, qui a Clemente VI. ad XII. annorum cursum cum annuo Canone duodecim millium florenorum investitura acquisita, nummos Bononiæ signare cœpit. Verum cum in hujus nummi stemmate tria lilia excalpta observentur, cui nonnisi de anno MCCCLXXXIX. a Bononiensibus addita sunt; Idcircò nummum, non Archiepiscopi, sed aut Joannis Galeatii, aut Joannis Mariæ filii temporibus, qui quintidecimi initio sæculi dominatum tenuit, aut Philippi Mariæ, qui ab anno MCCCCXL. usque ad annum MCCCCXLIII. Urbis clavum rexere, percussum arbitror.

Secundus argenteus nummus exhibet in margine binas claves decussatas inter duo lilia subsequentibus litteris DE BONONI, & in area A; A tergo in limbo binas pariter claves decussatas cum lemmate MATER
II. STVDIORVM, quatuor postremis litteris in area in Crucis formam dispositis. Vigentibus inter Jeremeos, & Lambertacios discordiis ac simultatibus, crescentibusque in dies cædibus, ut Urbis saluti prospicerent Cives, per Nuncios anno ab Orbe redempto MCCLXXVIII. Romam missos, Nicolao hujus nominis Tertio Pontifici, ut eos tuendos fovendosque susciperet, suasere. Annuente Pontifice, discordiisque per Legatum compositis, Bononienses sub Ecclesiæ tutela esse cœpere, qui sæpius Pontificiis pulsis Præfectis, creatis variè Magistratibus defectionem moliti sunt. At Eugenius IV. Anno MCCCCXXXV., ut hujusce Urbis jura ad Romanam Ecclesiam spectantia redintegraret, Copias in ipsam misit Nicolao Piccinino Duce, pulsisque Cannetolis, qui anteacto anno Urbem tyrannicè invaserant, in Ecclesiæ potestatem redegit, stetitque ad annum usque MCCCCXXXVIII. quo Pontificiis præsidiariis militibus ejectis, sui juris denuo esse cœpit; atque hoc triennio signatum nummum, & ad Eugenium spectare testatur Scilla pag. 21., cui libentius adhæreo alteri innixus nummo sub eodem Eugenio cum iisdem litterarum formis, ac clavibus Firmi percusso, & a Floravante pag. 107. num. VI. evulgato ad quem Lectorem remitto.

Æreus tertius pauculo argento admixtus nummus, præstat in area Sanctum Petronium sinistra Urbis typum sustinentem, dextera lituum gestantem cum litteris S. PETRO- III.
NIVS ad gothicam scribendi formam signatis. A tergo DE BONONIA gothico pariter excalptis charactere: in area binæ claves decussatæ; inferius Gentilitium Bentivolorum Stemma. Bentivolorum Prosapiam variis temporibus Bononiæ Imperium tenuisse satis perhibent Historiæ. Ex hac Joannes hujus nominis Primus, quintidecimi initio Sæculi Urbis dominatu potitus, sequenti anno necatur. Audaciam Patris sequutus Antonius, Anno post Christum natum MCCCCXX. Imperium usurpavit, quod diu non retinuit; pro recuperanda enim Urbe totus intentus Martinus V. Copias in Agrum Bononiensem immisit, a quibus perterritus Antonius, subodorata Civium in se conspiratione, Urbe relicta, ad Castrum Bononiense ei per pactionem a Pontificio Legato concessum perrexit. Annibal vero filius a Nicolao Piccinino Philippi Mariæ Mediolani Ducis vice Bononiam tyrannice gubernante inclusus carceri, arte solutus, amicorum ope seditione concitata Præsidiariis ejectis Ducis Militibus, ipsoque Piccinini filio in carcerem detruso ad Urbis Regimen anno MCCCCXXXIII. evectus, biennio post a Canetolis proditorie trucidatur, Joanne filio novem & viginti mensibus nato superstite. At Bentivolis summopere addicti Cives, Sanctem illegitimo ex Hercule Annibalis Avo thoro natum, Florentiæ degentem, ad Urbem infantis nomine regendam accersivere, quo in munere cum se uti legitimum Principem, puerulo neglecto, ad annum usque MCCCCLXII. exercuisset, ad plures vocatus est; Idcirco a Sancte expositum nummum signatum censeo ex litteris juxta illius ævi morem excalptis, Joannis II. temporibus jam obsoletis.

Tres ad Joannem II. Bentivolum spectantes nummos profero, Aureum unum, IV.
Argenteos reliquos; In singulis ipsiusmet Joannis pileata facies oblongis crinibus ostenditur cum inscriptione in ambitu IOANNES BENTIVOLVS II BONONIENSIS. A tergo aurei quinque denariorum, & quatuor

ce-

Digitized by Google

ceratiorum ponderis ſtat gentilitium ſcutum affabre excalptum, cui ſupereminet Aquilula expanſis alis, cum his vocibus in circuitu MAXIMILIAN. IMPERA. MVNV, nempe
V. *Maximiliani Imperatoris munus*. Tota ſecundi argentei nummi area duorum denariorum ponderis ab his vocibus occupatur MAXIMILIANI IMPER. MVNV. MCCCCLXXXXIIII.; Area porro tertii quatuor denariorum ponderis a Bentivolorum pariter Stemmate impletur cum lemmate MAXIMILIA-
VI. NI IMPERATORIS MVNVS. Joannes vix quarto ætatis luſtro completo, in dominatu poſt Annibalis mortem ſubrogatus, apud Italiæ Proceres magni factus, firum fundatumque Imperium habere videbatur; Maximiliano Imperatori carus, anno MCCCCLXXXXIIII. tum Aquilam nigram in Gentilitio ſcuto ponendi, cum in ſuæ ditionis locis monetas cudendi jure donatus eſt. Sed verga deinde fortunæ alea, dominatu quatuor, & quadraginta annis feliciſſime potitus, a Julio II. armis impetitus, ac anathematis telis percuſſus, pactis cum Pontifice conditionibus Urbe cum bonis, ac Familia exceſſus anno MDVI. Mediolanum petiit, ibique biennio poſt mœrore plenus, ac luctu, ſex & ſexaginta annis natus ex humanis decepit. Annibal vero major natu filius Gallorum ope anno MDXI. Bononiam ingreſſus, ad alterum uſque annum tenuit Principatum, quo Pontificiis, ac Hiſpanicis fatigatus armis, cum Cives in fide titubantes conſpexiſſet, deſperatis undique auxiliis, Urbe relicta ad Levirum Alphunſum Ferrariæ Ducem cum Familia confugit. Nupſerat enim Annibal Lucretiæ Herculis Ferrariæ Ducis ex Contubernio Filiæ, ex qua genuit Conſtantium præſtantiſſimæ hujuſce Bentivolæ Familiæ Ferrariæ degentis, & in Guidone præclariſſimo Equite inter Hiſpaniarum Magnates adſcripto jamjam evaneſcentis Propagatorem. Quæ hucuſque de Bononia, ac Bentivolis compendio collecta tradidi, ex Ghirardacio, & Vizano deprompſi, ideoque ad fontes ipſos Lectorem remitto.

I.

II.



III.

IV.

V.

VI.

CAMERINI.

PRimus argenteus Camerini ſignatus nummus præſtat in margine has voces IVLIA CAM. DVX; in area Floccum ad deſignandas forſan commotiones, ante, & poſt mortem Patris in ſua Familia exortas, quod proprium eſt flocci, vento ſcilicet agitari, & hinc inde commoveri. In ſecunda nummi fronte legitur in gyro S. VENANTIVS, I.

Digitized by Google

quatuor postremis litteris in area in formam Crucis dispositis. Erat Julia ex Joanne Maria de Varano nata, qui a Leone X. fuerat Camerini Dux renuntiatus. Dux porro morti proximus ne Feudum ad alienos migraret, sed in sua adhuc stirpe remaneret, condito a se Testamento disposuit, ut Julia nuberet uni ex filiis Herculis ex Rodulpho nati, ac tunc Ferrariæ commorantis; Hic namque se ex præpotenti vi Julii Cæsaris Patrui sui a Feudi jurisdictione exclusum agnoscens, Ferrariam se se receperat, ubi ferrem adhæc usque tempora florentem constituit præclarissimæ Varanæ Familiæ, in qua modo excellit Alphunsus eruditissimus in Poësi Eques, ut editus ab eo DEMETRIVS testatur. Placuit hic Testamenti verba apponere, a Petro Venantio Bringnano Notario Camerini exarati Anno MDXXVI. Texto Idus Augusti ex *Mandans ut præfata Domina Julia debeat tradi in uxorem uni ex filiis Magnifici Domini Herculis de Varano Consobrini ejus testatoris* &c. & post pauca: *Et hoc fecit ipse Testator, ut conservetur Illustrissima Familia de Varano*. Verùm Juliæ Mater emortui Mariti voluntati parêre renuens, Filiam Guidoniæ Ubaldo Urbini Duci nuptui tradidit, delata ipsi pro dote, & Herculi pro jure in Feudum numerata pecunia a R. C. Ap. jussu Pauli III Farnesii, remanente interim Feudo penes Ecclesiam, in cujus possessionem idem Paulus familiam suam immisit. Secundus æreus nummus similis est evulgato a Muratorio sub num. I. demtis litteris G. L. in meo observatis, ex lateribus Sancti Ansovini hinc inde dispositis, cujus incisionem supervacaneam censeo.

FERRARIÆ.

EXterarum hucusque in nummis examinandis immoratus Urbium; Ordo Patriæque amor Ferrarienses, ut nondum evulgatos hic exhiberem, exposceret; at plerosque modò lubens omittam. Scito enim ab Officina nostra ad hanc usque diem in meo Studio percussos nummos servari, quos omnes conjunctim, si Deo placuerit, Italico sermone, ea, qua usus est methodo in Neapolitanis Vergara, luci mandare proposui. Ne porrò hujusce scientiæ amatores jejunos planè dimittam, quatuor tantummodo exponam.

Primus ex ære argento mixtus Aquilam expansis alis Atestinorum stemma in area ostendit, & in limbo NICHOt MARCHIO; a tergo Urbis Ferrariensis Insigne cum epigraphe DE FERRARIA. Sane Atestinam Gentem per quatuor Sæcula Vicariorum, Marchionum, ac Ducum titulo Ferrariæ imperasse, tritum est apud Historicos; Inter hosce Nicolaus hujus nominis tertius effloruit (cui nummum, ex gothicis litteris juxta illius temporis morem exaratis, adscribo) qui Alberto Patri anno post Christum natum MCCCXCIII. in dominatu successit, Princeps prudentia, gravitateque præstans, ac in rebus bellicis celeberrimus. Pro controversiis inter Philippum Mariam Ducem suborris, & Sfortiam Generum componendis, Mediolanum accitus, illorum animis vix conciliatis repentino morbo correptus e vivis excessit Anno MCCCCXLI.; Corpus Ferrariam delatum, in Æde Sanctæ Mariæ Angelorum, ab ipso condita humator; cui ob singularem in Urbis regimine probitatem, a Senatu Populoque Ferrariensi Ænea equestris statua, quæ ad præsentem usque diem, admiratione non indigna visitur Anno MCCCCLI. in Foro erecta est. I.

Secundus æreus rarissimus nummulus duorum ceratiorum cum dimidio ponderis, præstat in gyro MARCHIO, in area D, hoc est, *Marchio de*. In postica Urbis Insigne cum epigraphe FERARIA. Nummulus hic illo ævo *Bagatinus* vocitabatur, quorum quatuor Ferrariensem quatrenum constituebant. Hunc ad Leonellum spectare autumo, qui Nicolao Patri vita functo successit Anno Christi MCCCCXLI. Sic enim Annales nostri MS. (si qua fides iis præstanda sit) perhibent = *Abbiando fatto battere diverse monede el Marchese Lionello, cioè de quattrini, bagatini, e mezzanini se scomenzorono a spendere in Ferrara adì 27. Marzo l'Anno MCCCCXLVII.* Cæterum quatrenus, & mezzanenus (cui quidem nomen inditum erat quasi medius quatrenus) Leonelli nomine insigniti penes me servantur, de quibus alibi. II.

In tertio pentaro nummo ex ære, & argento constato, exhibetur Aquila expansis alis, antiquum Atestinorum gentilitium stemma, cum litteris in circuitu BORSIVS MARCHIO. A tergo Ferrariæ Tessera, cui desuper III.

Digitized by Google

super insidet Aquila, & lemma DE FERRARIA. Leonello Nicolai ex contubernio filio anno partæ Salutis MCCCCL. sublato, Borsius ex eodem Nicolao illegitimo thoro natus, a Civibus ingenti desiderio ad Urbis regimen renuntiatus, honore justis excusationibus diu recusato, tandem in suam electionem consensit. Hic duodeviginti post a sua Electione menses Federicum Imperatorem Roma redeuntem (quem una cum Eleonora Uxore Pontifex coronaverat) Ferrariæ magnificentissimè excepit, a quo Mutinæ, ac Regii Ducis titulo condecoratus est, die decima octava Maji Christi in cœlum ascendentis triumpho celebri; idcirco hoc temporis intervallo nummus percussus est. Cæterum Borsius tam riè, sancteque Urbem rexit, ut adhuc viventi æneam sedentem statuam Cives in Foro consecrarint. A Paulo II. Roman accersitus, & Ferrariensis Ducis titulo insignitus, Anno MCCCCLXXI. Ferrariam reversus, quatuor post mentes occubuit; Corpus ad Chartusianos delatum, quorum Cœnobium construxerat, & dotaverat, in Claustro humatur.

In quarto argenteo nummo repræsentatur cataphractus vir equo currenti insidens; Hercules forsan, hisce litteris circumdatus
IV. HERCVLES DVX FERRARIE. Hic est Hercules ex Nicolao legitimo thoro natus Borsii in Principatu successor, qui bello periculoso, ac sibi infesto cum Venetis gesto, Urbe viis, ædificiis, ac lapideis muris ampliata, Anno MDV. e mortalibus raptus est. In postica Sanctus Episcopus in Faldistorio sedens, dextera elevata in actu benedicendi, sinistra virgam pastoralem sustinens, cum epigraphe S. MAVRELIVS EPISCOP. Hic est Sanctus Maurelius Episcopus Ferrariæ, & hujus Civitatis Patronus minus Principalis, cujus sacrum Corpus in Ecclesia Sancti Georgii extra muros ad hæc usque tempora servatur, & colitur; Quæ porrò de Atestinis hucusque dicta sunt, ex Pigna, & Sardio debbavi; hos consule, si uberiora exoptes.

I.

II.

III.

IV.

FIRMI.

UNicum habes nondum evulgatum æreum nummum Firmi percussum, in cujus I.
prima fronte Sancti Episcopi visitur facies (quam Sancti Savini ex aliis monetis Firmi excalptis conjicio) cum lemmate DE FIRMO. In medio aversæ partis Crux, cum lateribus latioribus, & ornatis, his circumcincta litteris F. S. VICECOMES, nempe *Franciscus Sfortia Vicecomes*. Franciscus Sfortia Piceno (uti in Asculano nummo innuimus) occupato, & ab Eugenio IV. illius Provinciæ Marchio, Ecclesiæque Signifer, donec viveret, creatus, Firmi totius Marchiæ Metropolis sedem constituit. At tanti Beneficii immemor, cum a promissis declinaret, & Pontificiis hostibus faveret res suas confregit; Eugenius enim cum Alphunso utriusque Siciliæ Rege inito fœdere, in Picenum Copias immisit, a quibus victus Sfortia, & a Marchia expulsus occupatæ Urbes in Pontificis potestatem rediere, Sfortia ergo imperante expositus nummus signatus est. Franciscus Adamus de rebus gestis Firmi lib. II. Cap. CI., & CIII.

FLO-

Digitized by Google

FLORENTIÆ.

Vtilio ad Florentinos nummos, in quibus Familiarum scutula a Muratorio Consanoneriis assignata, ad Sancti Jo. Baptistæ humerum dexterum sæpenumero observantur apposita; At a Joanne Villano Rerum Florentinarum Scriptore in suo libro MS. *Della Moneta Fiorentina* penès Clarissimum Virum Franciscum Victorium Sancti Stephani Commendatarium Equitem rerum antiquarum studiosissimum, servato, Monetariæ Officinæ Præsidibus, *Monetæ Dominis* vocitatis, adjudicantur: littera super scutulum exarata, pro nominis, vel agnominis initiali, considerata; Ex hisce porro Muratorio inhærens, ne Lectori sim tœdio, reliquis omnissis, sex tantum exponam; In quorum primo argenteo Sancti Joannis Baptistæ in actu ambulandi repræsentatur Imago, I. dextera pendentem schedulam, cum litteris ECCE subaudi reliqua, nempe *Agnus Dei*, sinistra Crucigeram hastam gestantis, ad cujus dexterum humerum in superiori nummi parte stat scutulum, in quo una tantum zona oblique a latere dextero exarata visitur, Gentilitium Alamannorum Stemma, littera G super scutum signata; in limbo S. IOHANNES B. In adversa lilium Florentinorum Tessera, & in circuitu FLORENTIA.

Secundus argenteus nummus ostendit II. Sanctum Joannem Baptistam Christum Dominum baptizantem, cum scuto ad Christi humerum, in quo ternæ Lunæ in transversa fascia impressæ, ac dexteram versus flexæ observantur, Familiæ Strozzæ Tesserarium insigne, desuper littera G cum his vocibus in ambitu S. IOANNES. B. A tergo lilium, & epigraphes, ut in superiori.

Primam tertii argentei nummi frontem III. Sancti Joannis Baptistæ in Cathedra sedentis occupat effigies, ad cujus dexterum humerum stat gentilitium insigne, in quo sex teniæ denticulatæ oblique ab latere dextero conscripta zona intersecatæ conspiciuntur, cum hisce circumscriptis vocibus SANTVS IOANNES BATISTA. In adverso Flos, cum lemmate DET TIBI FLORERE XPS (Christus) FLORENTIA VERE:

Ad Familiam Victoriam spectat æreus argento mixtus nummulus: præstat hic San- IV. cti Joannis Baptistæ effigiem, sinistra baculum tenentis, in cujus apice Crux est, dextera exiguum scutum sustinentis, in quo tria lilia in transverso oblique baltheo impressa observantur, desuper littera N *Nervus* nempe, cum epigraphe S. IOANNES B. In postica lilium, & in circuitu FLORENTIA.

Quintus ex argento non utique puro conflatus nummulus exhibet in medio San- V. ctum Joannem cum scuto, in quo stant sex inscalpta liba, Mediceorum Schema; A tergo Flos, & epigraphes uti in superiori.

In sexto ex ære quidem, sed ut conspicitur pauculo etiam argento admixto nummo VI. præter Sancti Joannis Baptistæ Imaginem, observatur Venturorum Tesseraria Icon ex ternis liliis, ac transversa zona compacta. In postico flos, & lemma uti in IV.

Sex a Florentina libera Republica signatis nummis jam explicatis, unicum tantum sub Mediceorum jugo perpetuò redacta Lectorum curiositati satisfacturus exponam: Est hic argenteus denariorum octo, & duo- VII. rum ceratiorum ponderis, in cujus prima fronte Alexandri Medicei apparet Protome, cum epigraphe ALEXANDER M. R. P. FLOREN. DVX. scilicet *Medices*, seu *Mediceus Rei Publicæ Florentinæ Dux*. In altera observantur Sanctorum Martyrum Cosmi, & Damiani Icones cum his vocibus in limbo S. COSMVS. S. DAMIANVS. Pace cum Carolo V. a Clemente VII. his conditionibus conciliata, ut Margaritam filiam ex contubernio natam, Alexandro Laurentini filio desponderet, & Florentinos, qui jugo excusso Mediceo in suo jure esse cœperant, debellaret; Idcircò Cæsar in Agrum Hetruscum valido cum exercitu Aurantium misit, qui Arretio, & Cortona occupatis, arcta obsidione Florentiam cinxit: Pugnatum interea ad Pistorienses montes, arridente in belli initio Aurantii nece fortuna, sed versa deinde alea, Florentinorum Copiæ ad internicionem deletæ, ac profligatæ sunt: Tantis arctati Cives angustiis, libertate per biennium acerrime tutata, ad ultimam alimentorum inopiam redacti, in Cæsaris deditionem se se conjecere, cujus Decreto vetere subrogato Magistratu, Alexander Gener Florentinæ Reipublicæ Dux pronuntiatus est.

I.

II.

Digitized by Google

II.

III.

IV.

V.

VI.

VII.

DE FLORENIS.

FLorenum, a flore in ipso signatum sic vocitatum, auream unius drachmæ ponderis monetam, a Florentinis primò percussum ex Joanne Villano in Hist Flor Lib. VI. Cap. LIV. didicimus. Hujus ergo verba Auctoris quamvis vernacula non pigebit adscribere = *Onde allora si cominciò a battere la buona moneta del Fiorin d'Oro, e contavasi l'uno soldi venti, e ciò fu al tempo di Messer Filippo Ugoni da Brescia, del mese di Genajo, anni di Cristo 1252., de quali Fiorini otto pesavano un' oncia, e dall' uno de lati era l'impronto del Giglio, e dall' altro di S. Giovan Battista, come sono hoggi*; Villano adhærentibus Vincentio Borghini in Dissertationibus de Urbe Florentina parte II., & Scipione Ammirato in Hist. Florent. Tom. I. Lib. II. aliisque fide dignis Scriptoribus; Leblanchus tamen rejicitur, qui in Tractatu de Monetis Gallicis pag. 154. a Francorum Regibus primùm Florenos fuisse signatos, probare enititur, argumentis adamussim a Clarissimo Muratorio refutatis. Cæterum ad Florentinorum similitudinem, & pondus ferè omnes Europæ Principes aureos nummos signare cœperunt; quin immo idem Villanus Lib. IX. Cap. C. LXIX. prodibit, ab ipsomet Pontifice Joanne XXII. anno Christi MCCCXXII. Florenum penès me servatum, & a Muratorio sub numero II. evulgatum, Avenione fuisse signatum; qui quamvis Sacris aureos conflantes Florenos interdixerit, hoc tamen de iis erit sentiendum, qui improbos, aut minoris ponderis, aut auri non puri percuterent, ut expresse declaravit in emanato contra Monetarum Falsarios Diplomate Anno Chr. MCCC. XVII. a Floravante pag. 54. conscripto, ad quem Lectorem remitto. Ex hisce porrò Florenis tres hucusque non evulgati in meo scrinio delitescunt; quorum primus Florentiæ cusus, repræsentat Sanctum Joannem Baptistam stantem, pellicea indutum veste, Crucigeram hastam sinistrâ gerentem, cum gentilitio scuto supra dexterum Imaginis humerum, in quo tres teniæ, cum erecto, seu exiliente Leone observantur, littera B supra scutum excalpra, cum his circumpositis litteris S. IOHANNES B. A tergo lilium, & epigraphen FLORENTIA. I.

Secundus a Silesiæ Duce percussus, prout indicant exaratæ per gyrum litteræ, prædicti Sancti Joannis Baptistæ effigiem designat, II.

Digitized by Google

& epigraphen. In adversa florem, & has voces BOLES. DVX SLE., nempe *Bolislaus Dux Sleſiæ*.

Tertius Florenus ex auro non puro, sed ad noſtræ Italicæ duplæ ligam conflatus, ſpectat ad Wernerium Archiepiſcopum Trevirenſem, in Conradi locum anno MCCCLXXXVIII. extincti ſuffectum; In hujus antica viſitur Sancti Joannis Baptiſtæ effigies, cum his vocibus in circuitu WERNER ARCP. TRE; hoc eſt *Wernerius Archiepiſcopus Trevirenſis*. In poſtica pro lilio in aliis Florenis obſervato, ſtat gentilitium ſtemma, cum lemmate MONETA NOVA WESALenſis. Noverat enim Wernerius excommunicationem a Joanne XXII. emanatam in Principes, auro non puro ſignantes aureos nummos ad Florentini formam; idcirco Præſul quum a ſe adhibitum aurum non obrizum cognoſceret, pœnam evitaturus diverſo typo uſus eſt. III.

I.

II.

III.

LAVANIÆ COMITUM.

APud Ligures quinque ab hinc Sæculis Fliſcorum nobilis effloruit Familia octogenis, & ultra Cardinalitiis Purpuris condecorata, ac duobus Summis Pontificibus tertiodecimo Chriſti ſæculo inſignita, Hadriano ſcilicet V., & Innocentio IV.; præfuit ille octo & triginta tantum dies, alter annos undecim, menſes quatuor, & dies ſexdecim; Jura Eccleſiæ acerrimè hic propugnavit, Federicum Secundum Imperatorem excommunicavit, & a Cæſarea dignitate depoſuit. Hac Lavaniæ, & Meſſerani tenente Principatum, Petrus Lucas, cujus nummum æreum hìc expoſuimus, enituit, in cujus area ſtat parmula nullâ inſignium normâ conſcripta, in faſtigio corona exornata, cui inſidet Aquila dimidia, hoc eſt extans pectore tenus, cum epigraphe PETRVS LVC FLISC. L. CO. C. D. nempe *Petrus Lucas Fliſcus Lavaniæ Comes C.... Dominus*. A tergo in ſuperiori limbi parte ſtat cujuſdam Sancti, minuta admodum facies, circulo, ſive nimbo ornata (quam Sancti Theoneſti eſſe reor) ſubſequentibus vocibus, SANTVS TEONESTVS. MAR. In medio Crux. I.

Ad Lodovicum Fliſcum ſpectat ſecundus argenteus nummus, cujus totam aream ipſius Lodovici pileatus occupat vultus affabre deſignatus, cum epigraphe LV. FLIS. LAVANIE MESERANI DO. Poſticam illuſtrat Sancti cujuſdam Martyris imago equo inſidentis, dexterâ vexillum ſuſtinentis, quam ex aliis nummis Lavaniæ percuſſis Sancti Theoneſti eſſe conjicio; in margine Aquilula, & lemma DEVS FORTITVDO MEA, verbis ex Pſal. XLII. deſumtis. II.

I.

II.

Digitized by Google

LUCÆ.

ASpice duos in Officina Lucenſi ſignatos nummos, quorum primus argenteus ob Chriſti inſculptum eminet Vultum, ſumma veneratione a Lucenſibus celebratum, cum
I. lemmate SANCTVS VVLTVS. In averſa facie, CAROLVS IMPERATOR, in area L. V. C. A. litteris gothico excalptis charactere, & in crucis formam diſpoſitis. Luca caput Tuſciæ Urbs a Caroli IV. Legato XXV. aureorum millibus nummum libertate coëmpta ad annum uſque MCCCC. conſervavit, quo Tyrannidem nactus Paulus Guiniſius per annos XXX. unà cum Filiis tenuit Dominatum; quibus profligatis, tandem eam, qua nunc utitur, Libertatem conſecuta eſt; quocirca monetam Liberatoris ſui nomine condecorarunt Cives.

Eumdem prorſus typum repræſentat in
II. prima fronte æreus ſecundus nummus: in altera viſitur littera L cum cruciçula ad latus, & litteris in gyro OTTO IMPERATOR, quartus forſan, a quo Lucenſes quamplurimis Privilegiis condecorati ſunt.

I.



II.

MACERATÆ.

MAceratenſi Populo a Bonifacio VIII. jus cudendi monetas fuiſſe conlatum Anno Chriſti MCCCXCII. ſignato Romæ diplomate octavo idus Junias, ex Pompejo Compagnono in iſtius Urbis hiſtoria Part. I. Lib. V. eruitur. Hujuſce Urbis ſub numero primo a me expoſitus æreus nummus oſtendit in area Crucem, & in margine epigraphen DE I.
MACERATA. A tergo, in ambitu S. IVLIA, in medio NVS; nempe *Sanctus Julianus*.

Ad oram ſecundi argentei nummi repræſentantur binæ claves decuſſatæ ſubſe- II.
quentibus vocibus DE MACERAT, in area A quaternis circumcincta circulis. In adverſa inſcriptio S. IVLIANVS, quatuor poſtremis litteris in medio poſitis. Nummum hunc ſub Eugenio IV. percuſſum aſſerit Xaverius Scilla pag. 21. cui æquo animo aſſentior.

Tertius æreus nummus oſtendit Sancti Juliani ſtantis imaginem oblonga amicti ve- III.
ſte, dexterâ elevatâ in actu benedicendi, ſiniſtrâ haſtam ſuſtinentis cum epigraphe S. IVLIANVS. Hic eſt Sanctus Julianus Urbis Maceratenſis Protector. Altera ex parte in medio binas claves decuſſatas, in ambitu lemma DE MACERATA. Nummum Nicolai V. temporibus ad Pontificiam dignitatem evecti Anno Chriſti MCCCCXLVII. ſignatum cenſeo, eædem porro decuſſatæ claves in hujus Pontificis, Romæ, & Fulginei æreis percuſſis nummis, quos Floravantes evulgavit ſub num. V., & VI. obſervantur; binæ enim claves decuſſatæ a Nicolao humili genere nato pro ſtemmate aſſumptæ ſunt, ut videre licet in Cod. Vat. ſignato num. 3255. a Floravante pag. 115 citato, in quo hæc habentur: *Adì 4. de Marzo a 22. ore de Sabato li Cardinali ſe miſero in Conclave nella Minerva, e furo in tutto 18., e Lunedì ad ora de Terza fecero Papa Monſignor di Bologna, che era de Serazzano vile nazione, non aveva arme, e fece le Chiavi; altrimenti era valentuomo de ſcienza, e fu Papa Nicolò V.*

I.

II.

III.

Digitized by Google

III.

MANTUÆ.

MAntua priſcis temporibus variis ſubjecta Principibus, Theodobaldo ſcilicet Comiti Canoſſano, Sordello, Vicecomiti, Bonacolſis per annos fere quinquaginta, tandem ad Gonzagas devenit Anno Chriſti MCCCXVIII. Inter hos effloruit Joannes Franciſcus, cujus nummum æreum ab ipſo cu-
I. ſum evulgamus, qui emortuo Franciſco Patri in Vicariatu ſucceſſit Anno MCCCCVII. In prima hujus fronte ſtat gentilitium familiæ Gonzagæ ſcutum, quod tres faſcias, ſeu zonas tranſverſas continet, his in gyro litteris exaratis I. F. D. GONZAGA, nempe *Joannes Franciſcus De Gonzaga*; In altera ipſius Joannis Franciſci Protome, cum lemmate V. D. MANTVA; hoc eſt *Vicarius de Mantua*.

Ad eumdem Joannem Franciſcum ſpe-
II. ctat ſecundus argenteus nummus diverſo tamen titulo conſcriptus; ſic enim legitur in margine, IO. FRANCISCVS MARCHIO MANTVE. In medio viſitur Aquila dimidia, hoc eſt extans pectore tenus ſuper criſtatum caſſidem cujuſdam Scuti proni, atque inclinati, in quo quaternæ aquilulæ circa Crucem ad ſcapos extremos patulam obſervantur. Sigiſmundus Imperator ab Eugenio IV. Anno poſt Chriſtum natum MCCCCXXXII. decimoquinto Kalendas Junias Romæ coronatus, Germaniam repetens, Mantuam declinavit; ibique a Joanne Franciſco magna cum pompa, ſplendidoque ſuſceptus hoſpitio, eum in Foro Sancti Petri in magnificentiſſimo Tribunali Mantuæ Marchionis titulo condecoravit Anno Chr. MCCCCXXXIII. Aquilis nigris in campo albo cum rubente Cruce pro ſtemmate conceſſis. Totum ſecundæ frontis medium a duabus figuris ſtantibus, pontificalibus veſtibus indutis impletur, cum circumſcriptis litteris S. ANSELMVS. S. CELESTRINV. Hic eſt Sanctus Cœleſtinus, qui ex Eremo eductus, & ad Pontificiam Cathedram diu reluctans evectus, poſt quintum Pontificatus menſem dignitate renuntiata, a Bonifacio VIII. Succeſſore ad evitandum Schiſma (ut ipſe dictitabat) in carcerem incluſus, biennio poſt ærumnis plenus in pace quievit; Alter eſt Sanctus Anſelmus Lucæ Epiſcopus, qui in Cœnobio Divi Benedicti Agri Mantuani e vita ſublatus, Corpore Mantuam delato, & in Eccleſia Majori collocato, uti Patronus a Civibus ſumma veneratione colitur.

In tertio æreo nummo obſervatur Canis ſedentis imago, cum epigraphe FRANC. III.
MAR. MANT IIII., nempe *Franciſcus Marchio Mantuæ Quartus*. A tergo, Sacra Pixis, in qua ſervantur tres guttæ Sanguinis, quæ e latere Chriſti Domini effluxerunt cum lemmate SANGVIN XPI IXES; hoc eſt *Sanguinis Chriſti Jeſus*. Franciſcus duodeviginti annos natus poſt Federici Patris mortem Anno MCCCCLXXXVI. Mantuæ inivit Principatum; In primo Juventutis flore venationibus deditus Canes, Accipitreſque in deliciis habuit, marmoreo nonnullis funeratis ſepulcro; idcirco in nummo excalptum Canem ſummopere a Principe adamatum cenſeo: En verba Æquicolæ in Chron. Mant. italico ſermone exarata = *Quanto laudabilmente a' tempi apti Franceſco foſſe a varie caccie dedito, con quanto ſtudio ſe eſercitaſſe in quelle, nè io ſcriverlo, nè altri potrìa credere: Ma teſtimonio ne ſia, che ſopra ducento Cani nutriva da varj & longinque regioni conducti, Moloſſi, Levreri, Brachi, & Sonſi. Paſcea Ocelli di rapina non meno di cento cinquanta tra Girifalchi, Saccari, Falconi, Sprouери, Aſtori, colli terzoli loro: Tenea di queſti excellentiſſimi Maeſtri, & intanto amò la cauſa delli ſoi piaceri aerj, che alcuni ucelli nobiliſſimi morti honorò di marmorea ſepoltura: Fù de Cani perfectiſſimo conoſcitore, peritiſſimo in la cognitione de Ucelli alli occhi, peſo, & colore* = hucuſque Hiſtoricus.

Quartus argenteus nummus viginti, cæ-
ratiorum ponderis, ejuſdem Franciſci pilea- IV.
tam præfert faciem, his circumcinctam vocibus: FRANCISCVS MAR. MANT. IIII. In poſtico, Sacram Pixidem, cum epigraphe SANGVINIS XPI IHESV.

Quintus æreus nummulus demonſtrat in
medio ſcutum gentilitium, in cujus area ter- V.
næ obſervantur tranſverſæ teniæ, antiquum Familiæ Gonzagæ ſtemma, cum epigraphe FR. MAR MANT IIII. In adverſo binas manus junctas, cum lemmate IN ÆTER-

NVM.

Digitized by Google

NVM. Franciſcus Bellicis rebus addictus, apud Italiæ Proceres multa exiſtimatione clarus, octo & viginti annos natus totius Confœderatorum exercitus Imperator dictus, Carolo Francorum Regi, qui Regno Neapolitano occupato ad totius Italiæ affectabat imperium, in Patriam redeunti ſe ſe objecit; pugnatum acriter in agro Parmenſi ad Taurum, ancipiti dubiaque victoria. Poſt pugnam Taurinum ſe recepit Carolus; Franciſcus celerato itinere Novariam arcta jam obſidione cinctam, quæ Gallo tuebatur præſidio, perrexit, quam citius bellicis fatigatam tormentis ad ultimam anguſtiam redegit. Interea a Lodovico Aurelianenſe Principe, qui intus erat, ad colloquium evocatus Franciſcus, ad decem prius dies induciis pactis, tandem pax inter Regem, & Mediolani Ducem firmata eſt. *Æquic. in Chron. Mant. Guicciard. Hiſt. Ital. lib. II.* Poſt hæc, in Galliam rediit Carolus, Mantuam gloria ac laude plenus Franciſcus, in cujus Pacis memoriam ab ipſo percuſſum nummum autumo; manus enim junctæ pacem fidemque publicam denotant, non ad tempus, ſed perpetuo ſervandas, uti per lemma IN ÆTERNVM a Franciſco inauguratur.

Sextus argenteus nummus Beatæ Mariæ
VI. Virginis Gratiarum, vulgò ab Incolis nuncupatæ, Puerulum lactantis Jeſum inſignitur Imagine, in cujus honorem a Franciſco Gonzaga Mantuæ Vicario IV. non ignobile Fanum quintidecimi initio ſæculi, quinto ab Urbe lapide erectum eſt: A tergo fuſorium cernitur Vaſculum, quo utuntur Aurifices, flammis circumdatum cum virgarum aurearum, aut argentearum faſciculo ex eo prodeunte, & lemma FRANCISCVS MAR MAN. IIII

In ſeptimo æreo mixto argento nummo
VII. ejuſdem Franciſci obſervatur facies cum epigraphe FRANCISCVS MR MANTVE IIII. Altera ex parte ſedentis mulieris effigies Pixidem ſacram dextera ſuſtinentis, cum litteris in circuitu SANGVINIS XPI IHESV, & inferius MANT

Octavus argenteus nummus Federici II.
VIII. ornatur vultu, qui poſt Franciſci Patris mortem regnare cœpit anno Chriſti MDXIX. cum epigraphe FEDERICVS II MAR. MANTVE. A tergo Sacra Pixis ſuper Aram poſita, in qua conſcriptæ hæ litteræ conſpiciuntur S. ANDREAS cum lemmate in gyro SANGVINIS XPI IHESV; inferius MAN

I.



II.

III.

IV.



V.



VI.

Digitized by Google

VII.

VIII.



MEDIOLANI.

I. DImidiatum hunc profero, Mediolani argenteum percuſſum nummum; quum enim in una ejus parte, præter gentilitium Vicecomitum ſtemma, hæ voces in gyro FRA - - - - - RTIA VICECO; in altera, præter Crucem DVX ME - - nitidis characteribus legantur, clarè cognoſcitur ad Franciſcum Sfortiam ſpectare, qui ex humili origine ob præclaras animi dotes, ac in rebus bellicis virtutes a Philippo Maria Vicecomite in Generum cooptatus, ei emortuo in Principatu ſubrogatus eſt Anno Chriſti MCCCCL.

In area ſecundi argentei nummi oſtenditur Crux hiſce litteris in limbo ornata G
II. M. DVX. MED. AC. IANVE. D. &c. nempe, *Galeatius Maria Dux Mediolani, ac Januæ Dominus* &c. In poſtica Anguis puerum devorans cum litteris ad latera B. G. prima pro *Blanca*, altera pro *Galeatius* interpretatis, & epigraphes BLANCA M. DVCISA MEDI; nempe, *Blanca Maria Ducissa Mediolani*. Hic eſt Galeatius Maria, qui duos & viginti annos natus poſt Franciſci Patris mortem ſub Blancæ Mariæ Matris tutela cœpit dominari, cujus in initio Imperii auctoritatem veritus, progrediente tempore a debita veneratione deflexit. Facta in eum conſpiratione decimo Dominatus anno confoſſus eſt, Cola Montani conjurationis Auctore.

I.

II.

MIRANDULÆ.

UNicum exhibeo ſub Joanne Franciſco Pico Mirandulæ percuſſum argenteum nummum, in cujus prima fronte repræſentatur Liber cum ſignatis in eo litteris OMNI. I.
NO B. K. A, ad libri latera C. I. A; inferius Aquilula biceps ſubſequentibus vocibus IO. FR. PICVS MIRANDVLE D. CO. C. ſcilicet *Joannes Franciſcus Picus Mirandulæ Dominus Concordiæ Comes*. Poſtica oſtendit Chriſtum in Aſtra aſcendentem, & Diſcipulos in Cœlum aſpicientes, inferius ILLVC. Hic eſt Joannes Franciſcus Philoſophus inſignis ex Galeotto primo natus, qui a Lodovico, & Federico fratribus Principatu ejectus ad Julium II. Pontificem opem imploraturus confugit; Idcirco Pontifex, ad obſidendam Mirandulam, quæ Gallo fulciebatur præſidio, immiſſis turmis, quum lentum, ob hyemis ſævitiem, in ſuo munere Militem conſpexiſſet, ira incenſus, etſi ſenio gravis, infirmiſque viribus in Caſtra perrexit, ibique Ducem ipſemet agens, vigeſima Januarii die MDXI. Urbem tormentis jam fatigatam

tam cepit deditione, & Joanni Franciſco reſtituit. *Guicciard. in Hiſt. Ital. Lib. IX.*

MONTISFERRATI MARCHIONES.

I. AD Gulielmum Montisferrati Marchionem attinet unicus æreus adhuc non obſervatus nummus, in cujus antica viſitur Marchionum Gentilitium ſtemma cum litteris in margine GV. MAR. MONTFE. Qui, ut opinor, Montisferrati Marchæ dominabatur, Anno ab Orbe redempto MCCCCLX. In poſtica Crux cum lemmate SVB TVVM PRESIDIVM.

MUTINÆ.

I. PRimus æreus duorum ceratiorum ponderis nummulus demonſtrat in gyro hanc vocem FEDERIC, & in area has litteras in formam Crucis diſpoſitas I. P. R T, quæ ſonant *Imperator*, In adverſa parte D. MVTIN. in medio A quatuor punctis, ſeu circulis ad latera, ſupra, & infra diſpoſitis; ſcilicet *De Mutina*. Ad Federicum Secundum ſpectat nummus, a quo Mutinenſibus jus cudendi monetas conceſſum eſt Anno MCCXXVI.

II. Secundus æreus nummus ob Divi Geminiani Epiſcopi, ac Urbis Patroni effulget faciem. A tergo ſtat Urbis Inſigne cum inſcriptione INSIGNIA MVTINÆ.

III. In tertio æreo argento mixto nummo repræſentatur ejuſdem Sancti Geminiani in faldiſtorio ſedentis effigies, elevata dextera in actu benedicendi; ſiniſtra virgam paſtoralem geſtantis, & epigraphes S. GEMINIANVS. In Poſtica, Urbis Teſſera, cum lemmate MVTINENSIS. Quo autem tempore poſtremi iſti duo nummi fuerint ſignati, non eſt facile conjicere.

I.

II.

III.

NEAPOLIS, & SICILIÆ.

IN primi ærei argento admixti nummi area demonſtrantur hæ duæ litteræ F R, & in gyro ROM. IMPR. SEP. AV., hoc eſt I. *Federicus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus*. In adverſa viſitur Crux his circumdata vocibus R. IERSL ET SICIL; nempe *Rex Hieruſalem, & Siciliæ*. Henrico Patri e vivis ſublato in utroque Regno Neapolitano ſcilicet, & Siculo Federicus II. ſucceſſit, & Anno circiter MCCXII. Imperator dictus, ab Honorio III. Anno MCCXX. aurea Corona inſignitus eſt. Conſtantia Arragoniæ Regina prima ejus uxore e mortalibus rapta, Jolantam Joannis de Bregna Hieroſolymitani Regis unicam filiam ſibi deſponſavit, a qua dotis nomine Anno MCCXXIII. titulum Regis Hieruſalem ſortitus eſt, quem deinceps Siciliæ Reges tenuere. Idcirco cum evul-

Digitized by Google

evulgatus nummus hoc titulo ornatus sit, a Federico post annum MCCXXIII. hunc fuisse percussum, judicandum est.

Ad eumdem Federicum pertinet subse-
II. quens æreus nummus, in cujus antica stat Crux has circumscriptas intersecans litteras FE. IM. PER. ATO. nempe *Federicus Imperator*. In postica Viri facies, & lemma R. IER. ET SICL; hoc est *Rex Hierusalem, & Siciliæ*.

Tertius æreus nummus exhibet in me-
III. dio FR; in ambitu ROM. NPERATOR; scilicet *Federicus Romanorum Imperator*. A tergo Crux nodo circumcincta, & in limbo R. IERSL ET SICIL; hoc est *Rex Hierusalem, & Siciliæ*.

Quartus æreus nummus a Conrado per-
cussus est, qui post mortem Federici Patris
IV. anno MCCL. cœpit dominari, & anno MCCLIV. veneno sublatus est. In hujus prima facie eminet Crux cum epigraphe CONRADVS. In adversa, R, & lemma IER ET SICIL; ideſt *Rex Hierusalem, & Siciliæ*.

Quintus argenteus nummus ostendit in area Aquilam expansis alis, & in ambitu I. DEI GRACIA REX, nempe *Jacobus Dei Gratia Rex*. In adverso Gentilitium, ut cen-
V. seo, Arragonensis Familiæ scutum cum hisce circumpositis vocibus ARAGON . . . SICILIE; hoc est *Arragoniæ, & Siciliæ*. Siculi, quum Gallorum tyrannides, ac libidines, quæ in dies augebantur, amplius concoquere non possent, in ipsos, Joanne Procida Auctore, conspirarunt; constitutoque pulsationis Campanarum tempore ad preces vespertinas ipso die Paschatis, qui fuit XXX. dies Martii Anno MCCLXXXII. in Gallos incautos, ac nihil paventes irruêre, ac uno, ut ita dicam, puncto temporis octo & amplius millia, nullo ætatis, aut sexus discrimine, trucidarunt, tantoque ultionis æstu, ut fœminæ etiam Siculæ e Francis prægnantes neçi darentur, ne quid Gallicæ stirpis in Insula remaneret. Post hæc Petrus Arragonius Siciliæ Rex salutatus, triennio post morti proximus Alphonso majori natu filio Arragoniam, Jacobo vero Siciliam ex testamento reliquit, qui fratris morte Arragoniam sortitus, pacis, quietisque cupidus, pactis cum Carolo II. Neapolis Rege conditionibus, ac Blanca ejus filia sibi desponsata titulum Siciliæ deposuit: Idcircò hac temporis intermissione, ab obitu nempe Fratris, ad Regni usque cessionem, exhibitus nummus percussus est.

I.

II.



III.

IV.

V.



P A R M Æ.

PRimus æreus nummus præfert in medio Sancti Joannis vultum cum epigraphe S. IOANNES. A tergo Crux, & lemma I. PARMA. ECCLIAE. RO. scilicet *Parma Ecclesiæ Romanæ*. Ludovico Sfortia Mediolani Duce ab armis Ludovici XII. Galliarum Regis e Principatu expulso Anno MCCCCIC. Parma, & Placentia, quæ antea sub Sfortiarum tenebantur dominio, in Regis potestatem devenere. At Julius Pontifex, cujus Copias ad Ravennam Galli deleverant, tantæ cladis vindictam sumpturus, Helvetios, ac Venetos in auxi-

xilium accitos in Gallos immisit, qui tantis viribus impares, Italia relicta, ad Patrios lares rediere; quibus peractis, Ecclesiæ nomine Parmam, & Placentiam recepit Pontifex Anno MDXII. cui Cives fidem, ac successoribus jurarunt. Hoc autem tempore evulgatum nummum Parmæ percussum censeo.

Hæc vox PARMA, & binæ Claves de-
II. cussatæ occupant secundi ærei nummi frontem. In adverso ostenditur Sancti Hilarii Episcopi Urbis Patroni effigies, dexterâ benedicentis, sinistrâ lituum sustinentis, cum epigraphe S. HILARIVS.

Tertius æreus argento mixtus nummus
III. exhibet in medio sedentis militis imaginem, dextera victoriolam sustinentis cum hisce circumpositis vocibus AVREA PARMA RESTITVTA, ultima voce in limbo adversæ partis exarata, in cujus medio binæ claves decussatæ fune alligatæ observantur. Franciscus Galliarum Rex cum Anno MDXV. in Italiam valido cum exercitu descendisset, profligatis ad Melenianum Helvetiis, ac Maximiliano Mediolanensium Duce e Principatu pulso, Parmam, & Placentiam Leoni Pontifici repugnare non audenti, ademit. At a Leone cum Carolo V. aliisque Principibus inito fœdere Anno MDXXI. tota Italia Gallis ejectis, Parma, & Placentia in Pontificis potestatem rediere, & hoc tempore nummum percussum reor. *Guicciard. in Histor. Ital. Lib. XIV.*

Eamdem sedentem imaginem exhibet
IV. quartus æreus mixtus argento nummus, at cum diversa epigraphe; In hujus enim margine legitur PARMA ECCLESIE. In adverso binæ claves decussatæ hisce vocibus circumcinctæ CIVES SERVATI. Vacante Apostolica, per mortem Leonis, sede, Galli reassumptis viribus, ad Parmam obsidendam Lautreco Duce aggressi, cum scalas tribus in locis appositissent, & mœnia superare tentassent, Franciscí Guicciardini Urbis Præsidis Italicæ historiæ Scriptoris, & Civium virtute rejecti, aliò abiere, uti ipse Guicciardinus in supra citato libro enarrat; ideoque in facti memoriam Parmenses nummum cusisse autumo.

I.



II.

III.



IV.



PATAVII.

COnspiciendum se præbet absque ulla inscriptione æreus Patavii nummus sub Carrarienſium imperio percussus, in quo præ- I.
ter Crucem, in ejus postica observatur Currus quatuor instructus rotis, gentilitium Carrarienſium Scutum, qui Urbis dominium tenuere ab Anno MCCCXXVIII. ad annum usque MCCCCVI., quo, Francisco Septimo Patavii Regulo justas ob causas Venetiis in carcere laqueo suffocato, ad Venetos (quod adhuc viget) devenit. *Sabellicus Hist. Ven. Dec. II. Lib. VIII.*



Digitized by Google

PERUSIÆ.

I. PRimus argenteus nummus demonſtrat in medio P affabre deſignatum, addita inſcriptione DE PERVSIA; in poſtica Crucem, & epigraphen S. ERCVLANVS. Peruſia antiquiſſima Italiæ Urbs ab Auguſto Cæſare inſtaurata, Auguſta Peruſia appellata eſt, ſtetitque ſub Romanorum Imperio ad Totilam uſque Gothorum Regem, qui Urbem ſeptennio prius obſeſſam, captam dein, dirupit, ac incendit, in qua direptione Divus Erculanus Urbis Epiſcopus magna cum Civium copia enecatus eſt, martyrio a *Divo Greg. in Dialogis lib. III. Cap. XIII.* deſcripto.

II. Ob Sancti Erculani excalptam faciem eminet ſecundus argenteus nummus, in cujus limbo legitur S. ERCVLANVS. A tergo in margine DE PERVSI, & in medio A quatuor roſis circumdata.

III. Tertius æreus nummus exhibet in medio binas Claves decuſſatas, deſuper Tiaram Pontificiam triplici corona exornatam, inferius has litteras PERVSIA. Totam ſecundæ frontis aream occupat Leonis gradientis imago, unguibus globum retinentis abſque ulla epigraphe. Peruſia a Totila Gothorum Rege (ut diximus in primo nummo) directa, & poſt direptionem ab Incolis paulatim aucta, & in priſtinam formam redacta, Ludovici Pii Caroli filii munificentia, ſub Eccleſiæ poteſtate eſſe cœpit, quæ ſæpius a Civibus Piccininis ſcilicet, Oddis ac Ballionibus tyrannicè occupata, varias calamitates, & cædes perpeſſa eſt, & a Pontificum fide deſcivit. Hæc tandem a Julio II. Pontifice Joanne Paulo Ballionio pulſo Anno MDVI Eccleſiæ Imperio reſtituitur, ſtetitque ad Annum uſque MDXII. quo, ſublato e vivis Julio, a Balliono iterum occupata, a Leone X. Succeſſore, Tyranni morte, recuperatur, quo tempore expoſitus nummus a Peruſinis in Leonis honorem percuſſus eſt; Leo enim in nummo ſignatus referendus eſt ad nomen, quod aſſumpſit Joannes Mediceus quando Pontifex fuit renuntiatus, ut innuit Jovius in ejus vita, cujus verba placet hic referre: *Leonis X. nomen ſibi deſumpſit, utpotè, qui propter innatam excelſo, regioque animo clementiæ virtutem, non expreſſo quidem titulo, ſed erudita alluſione magnanimi cognomentum aſſeclaret, duorum ſuperiorum ſecutus exemplum, quibus Alexandri, & Julii auguſtiſſima nomina placuiſſent. Non defuere, qui dicerent, Claricem matrem, pleno jam utero, Leonem ingentis magnitudinis, & miræ lenitatis in Reparatæ Templo, Florentiæ omnium maximo, ſe parere ſine gemitu ſomniaſſe: quod poſtea ſomnium ex fabulis nutricum, cum puerorum ingeniis inhæſiſſet, accipiendo nomini cauſam, haud dubiè, præbuerit.*

I.

II.

III.

PISARUM.

ABſque ulla epigraphe Aquila repræſentatur expanſis alis in primo æreo argento mixto nummo, cum lemmate in poſticæ margine PISANI COMVNIS, & in area P gothico excalpta charactere. Piſanos priſcis temporibus terra marique claruiſſe potentiâ, barbaraſque Nationes ſubegiſſe ex Blondo, ac Volaterrano clarè evincitur. Pluribus ſæculis libertatem ſuam tutati nemini paruere; varios inde experti Tyrannos Ugolinos, Agnellios, alioſque, & multis concuſſi calamitatibus, tandem a Florentinis poſt acceptas clades, in eorum poteſtatem devenere. I.

In ſecundo æreo nummo viſitur P hac circumſcripta voce CIVITAS. A tergo Crux, & epigraphes PISANA. Crucem Urbes in ſuis nummis ſignare cœpere poſt II.

Ca-

Digitized by Google

Caroli Calvi Decretum emanatum Anno DCCCLXIV. in quo præcepit = *ut in denariis novæ noſtræ monetæ ex una parte nomen noſtrum habeatur in gyrum, & in medio noſtri nominis monogramma, ex altera verò parte nomen Civitatis, & in medio CRVX habeatur* = quem morem in nummis fere omnibus Italicarum Civitatum obſervatum cognoſcimus.

Tertius argenteus nummus imagine Virginis Mariæ puerum Jeſum geſtantis in ulnis illuſtratur, cum lemmate PROTEGE VIRGO P. nempe *Protege Virgo Piſas*. Everſus typus demonſtrat in ambitu CIVITATIS, in medio PISE litteris in formam Crucis diſpoſitis. Piſani, ut ſupra diximus, terra, marique potentes, Barbaris ad Panormum deletis, ſpoliis onuſti, Patriam rediere; ubi ſupremo peractis gratiis Numini, in Sanctiſſimæ ejus Matris ad Cœlum Aſſumptæ obſequium (quam in Patronam elegerant) perauguſtum Templum, quod uſque ad hoc ævum noſtrum viget, erexere, Anno ab Orbe redempto MLXII., ut colligitur ex Joſeph Martini, qui de hac Baſilica graphicè ſcripſit. III.

I.



II.



III.

PISAURI.

HActenus Piſarum nummos contemplati ſumus, nunc ad Piſaurienſes deſcribendos progrediamur, quorum primus æreus repræſentat in area Quercum Familiæ Roboreæ Gentilitium Stemma, deſuper in limbo Urbis Piſaurenſis Inſigne, ſubſequentibus litteris FRANC. MA DVX. DO. P., ſcilicet *Franciſcus Maria Dux* ſubintellige *Urbini Dominus Piſauri*. Ex adverſo legitur in medio PISAVRI abſque alia inſcriptione. Joannis Sforziæ morte a Galeatio fratre Piſauri regimine ſuſcepto, quum a Julio II. Pontifice nullo pacto Imperii confirmationem conſequi poſſe cognoſceret, honeſtis cum illo pactis conditionibus Urbe ſe abdicavit, quæ mox a Pontifice Franciſco Mariæ Roboreo Nepoti, pro magna vi pecuniæ, quam ei nomine ſtipendiorum Eccleſia Romana debebat, accedente etiam Cardinalium conſenſu collata fuit; idcirco Franciſco imperante expoſitus nummus percuſſus eſt. I.

Primam ſecundi argentei nummi frontem occupat Præſepe, in quo Dominus noſter, quem Virgo Mater, & Paſtores in genibus procumbentes adorant, hac voce tantum inferius exarata PISAVrum. A tergo in ſuperiori nummi parte ſtat Sol cum epigraphe in gyro F. MARIA DVX VRBINI; in medio obſervabis Aquilam, & tres pullos, duos nempe in nido, tertium a matre roſtro apprehenſum, & ab illa rejectum. Solent enim Aquilæ ſuos probare partus, ut habetur ex *Plinio Lib. X. Cap. III.* eos Solis ſplendori objiciendo, qui ſi oculorum acie palpitaverint, tamquam adulterini projiciuntur. II.

In tertio æreo nummo oſtenditur Sancti Martyris effigies, dextera palmam, ſiniſtra Urbis typum ſuſtinentis, cum epigraphe S. TERENTIVS PISAVR., nempe *Sanctus Terentius Piſauri* ſubaudi *Patronus*. In adverſo Aquila expanſis alis abſque ulla epigraphe. III.

In medio quarti ænei nummi ſtat epigraphes litteris in quercea corona exaratis; Retrò Mediceorum ſtemma cum hiſce circumpoſitis litteris LAV. ME. DVX. VRB. DOM. P.; ideſt *Laurentius Medices Dux Urbini Dominus Piſauri*, cum ſcutulo Urbis inſignia complectente. Leo X. Mediceam Familiam beneficiis, ac honoribus auctorus ampliſſimis, Franciſco Maria Roboreo Urbini IV.

Duce,

Digitized by Google

Duce, Eccleſiaſticis, non injuſtas prorſus ob cauſas, cenſuris percuſſo, valido conflato exercitu, cui præerat Laurentius Nepos, in agrum Urbinatem copias immiſit. *In* hac improviſa rerum viciſſitudine perterritus Rovereus ſævienti fortunæ cedere coactus, Urbino relicto, Piſaurum conceſſit, ibique haud diutius commoratus Mantuam cum Familia perrexit; Cives verò deficientibus ad ſe tuendos viribus, poſitis armis ſe ſe Pontifici ſubjecere. *Guicciard. in Hiſt. Ital, lib. XII. prope finem.* Interea Leo brevi univerſa ditione potitus Urbinatem in Conciſtorio habito die 18. Auguſti MDXVI. a Principatu amovit, & in ejus locum Laurentium, Cardinalibus (Grimano demto Urbini Epiſcopo, ac Ducis neceſſario) aſſentientibus ſuffecit, ac Ducali titulo inſignivit. Sed non abs re fuerit Paridis de Graſſis Cœremoniarum Sacelli Pontificii Magiſtri apud Raynaldum ad dictum annum numero LXXXIII. verba referre = *Creavit magnificum D. Laurentium de Medicis nepotem ſuum Ducem Urbinatem, & Dominum Piſaurenſem, ſive perpetuum Vicarium Piſauri, in omnibus, & per omnia, ſicuti ſolitum eſt de creatione novi Ducis.* Hoc itaque tempore imperante Laurentio nummus fuit Piſauri percuſſus.

I.

II.

III.

IV.

PLACENTIÆ.

PRimus æreus nummus præfert in medio Crucem pereleganter efformatam, addita inſcriptione LEO X. PONT. MAX.; A tergo Urbis Placentiæ Inſigne, & lemma GRATA PLACENTIA. Ejectis, (ut diximus in primo Parmenſi nummo) Julii II. ſtudio tota Italia Gallis anno MDXII. Placentia in Eccleſiæ poteſtatem devenit; idcirco Cives in Leonis ſucceſſoris obſequium expoſitum nummum percuſſere. I.

In area ſecundi ærei nummi viſitur Sancti Antonini protome cum litteris S. ANTONINVS. In poſtica Mulieris ſedentis imago dextera binas claves decuſſatas ſuſtinentis cum lemmate FIDA PLACENTIA. II.

I.



II.



RAVENNÆ.

UNicum exhibeo æreum nummum Leonis X., ut judico, temporibus Ravennæ ſignatum, qui Nicolao Cardinali Fliſco illius Civitatis Archiepiſcopo Privilegium jam amiſſum cudendi monetas renovavit Anno MDXVII.; In hujus prima fronte oſtenditur Eccleſiæ Ravennatenſis Inſigne, & epigraphes RAVENA ECLESIE. Altera ex parte Civitatis Ravennæ Icon Teſſeraria cum lemmate RAVENE ANTIQVE. I.

RE-

Digitized by Google

REGII LEPIDI.

I. IN primo argenteo nummo, Sancti Episcopi cum Tiara in capite apparet, Vultus his vocibus in gyro exaratis: S PROSPER EPS REGII; nempe *Sanctus Prosper Episcopus Regii*; inferius Urbis insigne. Retrò, symbolum mihi ignotum cum epigraphe HERCVLES DVX. Ottobono, qui Regio tyrannicè dominabatur, Nicolai III. Atestini jussu enecato Anno MCCCCIX. Urbis dominatum ipse suscepit; quo vitâ functo, Leonellus, postea Borsius, deinde Hercules (sub quo nummus percutitur) ex eodem nati succesSere.

II. Ad Alphonsum Herculis primi filium spectat secundus argenteus nummus post mortem Patris in imperio subrogatum Anno MDV.; in cujus fronte repræsentatur ejusdem Sancti Prosperi facies, cum epigraphe, ac tessera, uti in superiori. In adversa Aquila expansis alis, his circumscripta litteris: ALFONSVS DVX.

III. Ad eundem Alphonsum pertinet tertius æreus nummus, in quo sculptus apparet Ducis vultus cum epigraphe ALFONSVS DVX REGII III. Totam alterius partis aream occupant hæ litteræ REGIVM LEPIDI, sic vocitatum non a Lepido Triumviro, uti nonnulli opinati sunt, sed a Marco Æmilio Lepido, a quo Colonia in hanc Urbem deducta est Anno ante Ortum Christi CLXXV.

IV. In quarto argenteo nummo visitur Sancti Chrysanti Martyris stantis effigies, palmam sinistra sustinentis, cum inscriptione S. CHRISANTIVS M. REGIENSIVM, subaudi *Patronus*. Aversæ partis typum implet Atestinorum gentilitium stemma, cum lemmate SVB HOC CLYPEO TVTI.

I.

II.

III.

IV.

SENARUM.

I. PRimus argenteus nummus exhibet in medio geminos fratres, Romulum nempe, & Remum, quibus Lupa submissas præbet mammas, Senensis Urbis Insigne, sculptis per gyrum litteris SENA VETVS CIVITAS VIRGInis. A tergo Crucem graphicè excalptam, & epigraphen A. ET Ω. PRINCIPIV ET FINI; hoc est *Alpha, & Omega: Principium, & Finis*.

II. In secundo æreo nummo visitur in medio S, nomen Senæ, seu Senarum indicans, litteris circumductis SENA VETVS. Postica præfert Crucem cum lemmate CIVITAS VIRGINIS; sic vocitata, eo quod Mariæ Virgini Urbem suam Senenses dicaverint.

I.

II.

Digitized by Google

VENETORUM DUCUM.

SEnenſibus brevi examinatis nummis, ſubſequuntur Venetiis ſignati, quorum primus æneus pertinet ad Sebaſtianum Cianum,
I. qui Ducalem iniit dignitatem Anno ab Orbe redempto MCLXXIII.; legitur in hujus gyro S. ZIANI DVX, in area ſtant hæ litteræ in formam Crucis diſpoſitæ V. N. C. E; hoc eſt *Veneciæ*. In adverſa epigraphes S. MARCVS, in medio Crux cum quaternis liliis in angulis. Sub hoc Duce Alexander III. Pontifex a Federico Œnobarbo inſidiis petitus, quum omnia Italiæ loca ſibi infeſta cognoſceret, ementito habitu Venetias confugit; ibique a Senatu perhonorificè ſuſceptus, Cæſaris iram in ſe concitavit; comparata enim Claſſe in Venetas oras Ottonem filium immiſit, in quem occurrens Cianus, pluribus dimicat horis, hæſitante de triumpho fortuna, quâ tandem ad Venetos declinatâ, Ottone capto, hoſtium Claſſis profligatur. Tanta clade perterritus Federicus ad pacem converſus magno cum comitatu Venetias acceſſit, ibique pace cum Pontifice conciliata, ad oſculum pedis, & pacis admittitur. *Sabell. Hiſt. Ven. Dec. I. Lib. VII.*

In limbo ſecundi ærei nummi ſtat epi-
II. graphes I. TEOPVL DVX; nempe Jacobus Theupolus Dux, ad Ducalem dignitatem evectus Anno Chriſti MCCXXIX. In medio V. N. C. E., ſcilicet *Veneciæ*. Altera ex parte circumſtant litteræ S MARCVS: In area Crux, in cujus angulis quatuor lilia obſervantur.

En habes in tertio nummo Aureum Ducatum Venetum, vulgò appellatum *Zecchino* a Franciſco Dandulo in Ducem ſubrogato Anno MCCCXXVIII. ſignatum. Hunc pri-
III. mò cudere cœpit Joannes Dandulus, ut habetur in Faſtis Ducalibus Marini Sanudi apud Murat. Tom. XXII. Rerum Italic. Scriptor. col. 400. hiſce verbis = *In nomine Dei Omnipotentis Anno ab Incarnatione Dñi Noſtri Jeſu Chriſti MCCLXXXIIII. Menſe Martii Ind. XIII. Tempore Egregii Viri, & Honorabilis coram Deo, & Hominibus Dñi Johannis Dandulo Incliti Ducis Venetiarum, fuit prius quædam facta moneta auri, quæ vocata eſt* Ducatus *ad honorem B. Marci Evangeliſtæ, & omnium Sanctorum, & Reipublicæ Venetiarum* = Oſtendit hic in area Sanctum Marcum Duci in genua provoluto Vexillum porrigentem, ſub cujus apice DVX, & in nummi limbo FRA. DANDVLO, pone Sancti Marci effigiem S. M. VENETI; nempe *Sanctus Marcus Veneticorum*, aut *Venetiarum*: In ſecunda nummi fronte Salvatorem noſtrum ſtantem, cum his vocibus in circuitu S. T. XPE. DAT. Q. TV. REGIS. ISTE. DVCA., quæ in aureo Bartholomei Gradonici exponentur.

Quartus argenteus nummus, *Matapanis* antiquitus vocitatus, præfert in antica San- IV.
ctum Marcum ſtantem, dextera manu vexillum tenentem, ac illud Duci porrigentem, ſiniſtra Evangeliorum librum ſuſtinentem cum epigraphe S. M. VENETI. FRA DANDVLO DVX; ſcilicet *Sanctus Marcus Venetiarum Franciſcus Dandulo Dux*. In poſtica Jeſu Chriſti Iconem ſuper cathedram ſedentis, cum Evangeliorum libro in gremio, ac græcis litteris $\overline{IC}$ $\overline{XC}$; ideſt *Jeſus Chriſtus*.

In quinto argenteo nummo unius dena- V.
rii ponderis oſtenditur ipſius Danduli ſtantis effigies ambabus manibus vexillum ſuſtinentis, additis in circuitu his vocibus FRA: DANDVLO DVX. In adverſo Sancti Marci protome, dextera benedicentis, ſiniſtra Evangeliorum librum ſuſtinentis, & epigraphes S. MARC VENETI.

Ad eundem Principem pertinet ſextus argenteus nummus quatuor tantummodo cæ- VI.
ratiorum ponderis, in quo repræſentatur in genua provoluti Ducis imago ambabus manibus vexillum tenentis, cum epigraphe, uti in ſuperiori. A tergo Leo vexillum ſuſtinens Reipublicæ Venetæ Inſignæ, & lemma S. MARCVS VENETI.

Funebribus Danduli pompis jam abſolu- VII.
tis, Reipublicæ Princeps Anno a Virginis partu MCCCXXXIX. declaratur Bartholomæus Gradonicus, ſub cujus Imperio Divorum Marci, Nicolai, & Georgii ope ab horrendo diluvio Urbs liberata eſt, facto Divi Marci Anulo comprobato; ut ſcribit *Petrus Juſt. in Hiſt. Venet. lib. III.* Demonſtratur in hoc aureo ſeptimo nummo, vulgò *Zecchino*, inſcalpta Ducis imago a Divo Marco vexillum recipientis cum epigraphe S. M. VENETI BA. GRADONICVS DVX. Retrò Salvator noſter ſtans; ad latera hinc quatuor ſtellæ, illinc quinque, & a duabus ovalibus lineis circumdatus cum lemmate SIT. T. XPE. DAT. Q. T. REGIS ISTE DVCA; quæ verba ſic placet exponere:

Sit tibi Chriſte datus, quem Tu regis iſte Ducatus; ſeu

Sit tibi Chriſte datũ, quod tu regis iſte Ducatũ.

Gra-

Digitized by Google

Gradonico fatis ſublato Andreas Dandulus Vir calamo, gladioque celebris tribus & triginta tantum annis natus a Patribus ſubrogatur Anno MCCCXLII. Viſitur in hoc octavo argenteo nummo quatuor cæra-
VIII. tiorum ponderis Sancti Marci ſtantis effigies Dandulo gladium porrigentis, ad reprimendos forſan Jadarenſes qui ſepties a Venetis jam deſciverant; aut Ligures debellandos, qui onerarias Venetorum naves dolo prædati fuerant, ut narrat *Sabell. Dec. II. lib. III.*, cum hiſce circumpoſitis litteris S. M. VENE. DVX AN. DADVL; nempe *Sanctus Marcus Venetiarum Dux Andreas Dandulus*, inferius N monetarii forſan nominis littera initialis, ſeu ut ſuppleret defectum N in nomine Danduli omiſſae. Altera ex parte Chriſtus e ſepulcro r. ſurgens cum lemmate XPS RESVRESIT pro *Chriſtus reſurrexit*.

Marino Falerio Duce, qui in Patriam conſpiraverat, Patrum Sententia enecato, Comitiis habitis Joannes Gradonicus Anno poſt Chriſtum natum MCCCLV. eligitur,
IX. ſub cujus Imperio nonus hic argenteus nummus duorum cæratiorum cum dimidio ponderis ſignatus eſt; Hujus tota areola a Ducis imagine occupatur cum litteris circum exaratis IOHA. GRADOICO. Averſum typum Leo implet cum epigraphe, uti in VI.

Decimus aureus nummus deſignat in prima fronte Sancti Marci iconem vexillum
X. Marco Cornelio porrigentis, qui fuit Dux renuntiatus Anno Chriſti MCCCLXV. cum epigraphe S. M. VENETI MAR. CORNARIO. DVX. In altera Salvatorem ſtantem vides, & lemma, uti in VII.

Perrarum habes optimæ conſervationis undecimum æreum nummum ſub Andrea
XI. Contareno, in emortui Cornelii locum ſuffecto Anno MCCCLXVII. ſignatum. Exhibet in medio Crucem, & circum litteras ANDR. CTAR. DVX. Alterius partis aream Leo Venetus alatus cum Evangeliorum libro tegit, addita inſcriptione VEXILFER VENETIAM, ſcilicet *Vexillifer Venetiarum*.

Duodecimus aureus nummus hac inſcriptione ſignatur MICHAEL STENus &c. Re-
XII. liqua, ut in Aureo Ducato. Hic quintidecimi initio ſæculi ad Ducale Solium evectus Liguribus navali prœlio deletis, Venetaque Franciſci Carrarienſis nece ditione aucta, tertiodecimo Principatus anno in fata conceſſit. *Sabell. Dec. II. lib. VIII.*

Tertiidecimi aurei nummi limbus hiſce
XIII. vocibus apparet inſcriptus FRAC FOSCARI DVX; nempe *Franciſcus Foſcari Dux*, qui Ducali inſignitus dignitate Anno Chriſti MCCCCXXIII. maximis prœliis terra marique confectis; Ravenna, Brixia, Bergomo, Crema, Carmagnola ductore, Venetæ ditioni addictis, poſt quartum & triceſimum Regiminis Annum ob nimiam ſenectutem a Patribus exauctoratus, paucos poſt dies occubuit. Cætera ut in aureo Ducato.

Ad eundem Foſcarum pertinet quartus-
XIV. decimus æreus nummus, in quo cernitur Crux, & epigraphes FRAnciſcus FOSCARI DVX. Exhibet averſa facies Leonem gladium geſtantem, his vocibus circumdatum S. MARCVS VENETI.

Quintuſdecimus argenteus contra tem-
XV. poris edacitatem optimè ſervatus nummus 64. granorum pondus non excedens ſub Nicolao Marcello percuſſus, & a Principis cognomine *Marcellus* dictus, exhibet in antica Sanctum Marcum Evangeliſtam vexillum Duci in genibus flexo porrigentem, ſub epigraphe S. M. VENETI. NI. MARCELL DVX, litteris ut in aureo Ducato diſpoſitis. In poſtica Chriſti in cathedra ſedentis imaginem, elevata dextera actu benedicendi cum lemmate TIBI. LAVS. T. (*tibi*) GLORIA. Nicolaus Marcellus Dux renuntiatus anno Chriſti MCCCCLXXIII. quintodecimo Regni menſe mortem oppetiit.

Marcello mortuo a Senatu Petrus Moce-
XVI. nicus Anno MCCCCLXXIV. ſubſtituitur, a quo ſextusdecimus argenteus nummus unius drachmæ duobus cæratiis minus ponderis ſignatur. Recurrit in hujus prima fronte Divus Marcus Duci in genibus flexo vexillum Reipublicæ porrigens ſub antiqua epigraphe S. M. VENETI PE. MOCENICO. In ſecunda eminet Chriſti imago in cathedra ſedentis, elevata dextera actu benedicendi, ſiniſtra librum ſuſtinentis cum lemmate GLORIA TIBI SOLI, hiſce ex cathedræ lateribus diſpoſitis litteris IC XC, nempe *Jeſus Chriſtus*.

Decimuſeptimus aureus nummus per-
XV. cuſſus eſt ſub Joanne Mocenico, ad Ducalem II. dignitatem elevato Anno Chriſti MCCCCLXXVII.; Hunc invenies conſueto Aurei Ducati excalptum typo, nomine tantum Ducis mutato. Alter penès me ſervatur ſub hoc Duce cuſus argenteus nummus a Muratorio jam evulgatus ſub num. XIX., litteris P. C. pro A. M. in meo obſervatis.

Decimus octavus argenteus nummus 62.
XV. granorum ponderis ad Auguſtinum Barbadi-III. cum pertinet, Ducem dictum Anno MCCCCLXXXVI.

Digitized by Google

CCLXXXVI. In prima hujus facie repræsentatur Ducis effigies corau redimita a Divo Marco vexillum accipientis, litteris hinc inde disposítis P. B. Præfecti Officinæ Monetariæ nomen, cum epigraphe S. M. VENETI AVG. BARBADICO. In adversa Salvatoris nostri effigies in cathedra sedentis, & lemma, uti in XVI.

XIX. Decimusnonus argenteus nummulus sex granorum ponderis illo ævo Solidus appellatus (quem nunc Veneti vocant *Marchetto*, quorum centum & vigintiquatuor aureum Ducatum, vulgò *Zecchino*, constituebant) genibus flexis Ducem præfert a Divo Marco vexillum accipientem, cum epigraphe S. M. V. AV. BAR. DVX; hoc est, *Sanctus Marcus Venetiarum Augustinus Barbadicus Dux*, voce DVX inferius collocata. In oppositâ fronte stantis Salvatoris effigies, dextera benedicentis, sinistra Orbem sustinentis, cum lemmate LAVS TIBI SOLI.

XX. Vigesimus argenteus nummus quinque denariorum cum granis quatuor ponderis, a Venetis *Libra* tunc vocitatus, quarum sex, & quatuor solidi Aurei Ducati pretium æquabant, percussus est sub Leonardo Lauredano, qui Ducalem iniit dignitatem Anno MDI. Ostendit hic in antica Lauredani effigiem in genibus flexi vexillum a Divo Marco accipientis, cum his vocibus in circuitu S. M. VENETI LEONAR. LAVRED. DVX. In postica Salvatoris imago stantis, dextera benedicentis, sinistra Orbem sustinentis, & lemma GLORIA TIBI SOLI; inferius I. C. Præfecti Officinæ Monetariæ nomen. Lauredano imperante, in Venetos omnibus prope Europæ Principibus Cameracensi fœdere conspirantibus, tota terrestri Reipublicæ ditione, Utino, ac Tarvisio demtis, Fœderati brevi potiti sunt, at versa fortunæ alea Urbes pari celeritate, qua amissæ, a Venetis recuperantur. *Guicciard. Hist. Ital. lib. VIII.*

XXI. In vigesimo primo argenteo nummo unius denarii ponderis ostenditur eadem Lauredani in genibus flexi imago ab Evangelista Marco sedente vexillum accipientis, cum familiâ inscriptione S. MARC VENETI LEO. LAVRE. DVX: in inferiori nummi parte D. G. Præfecti Monetarii nomen, qui annuatim mutabatur. In postica Jesus Christi effigies sedentis, dextera benedicentis, sinistra librum sustinentis cum lemmate GLORIA TIBI SOLI.

XXII. Ad eundem Lauredanum spectat exiguus argenteus nummus sex granorum ponderis, in quo observatur Sanctus Marcus vexillum de more Duci porrigens cum epigraphe S. M. V. LE. LAV. DVX; ultimo verbo non sub vexillo, sed in infima nummi parte exarato; Postica præfert stantis Salvatoris imaginem, cum lemmate ut in XIX.

Eodem Lauredano imperante signatus hic æreus nummus, in quo præter Crucem hisce circumscriptam litteris LE. LAVRE. DAN. DVX, visitur Leonis Veneti imago vexillum anterioribus pedibus tenentis, sub quo duæ litteræ A. M. Monetarii nomen, cum epigraphe SANCTVS MARCVS VENETI. XXIII.

Pro Venetorum nummorum coronide placet hìc æreum penès me servatum nummum exhibere, a Veneta Republica Tarvisii signatum, at sub quo Duce, ignotum. In hujus prima fronte repræsentatur Sancti Liberalis Tarvisii Patroni stantis imago, dextera gladio innixi, sinistra vexillum sustinentis, & in margine S. LIBERALIS TARVIXI. Postica præfert Leonem Venetum alatum, & epigraphen S. MARCVS VENETI. XXIV.

I.

II.

III.

IV.

V.

Digitized by Google

V.

VI.

VII.



VIII.

IX.

X.

XI.

XII.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

XVII.

XVIII.

Digitized by Google

XIX.

XX.

XXI.

XXII.

XXIII.

XXIV.

VERONÆ.

DEfunctus morosa Venetorum nummorum explicatione, ad Veronæ percussos descendo, quorum tres æreos absque ulla inscriptione signatos expono. In horum primis frontibus repræsentatur Scala gentilitium Scaligerorum stemma. A tergo in primo apparet Crux affabre designata; in secundo Lilium; in tertio Icon tesseraria, in qua tres lunulæ in fascia impressæ, ac versus dexteram flexæ observantur: quo anno, & sub quo Regulo percussi incertum. Sanè Scaligeros, post Actiolini Tyranni mortem, qui Urbem per annos tres & triginta gubernaverat, communibus Civium suffragiis cum Vicariorum, ac Principum titulo Anno Christi MCCLIX. Veronæ dominari cœpisse, ac centum & viginti octo regnasse annos, ex Historicis eruitur. Horum primus fuit Mastinus ex Albertino natus; postremus Antonius qui unà cum Bartolomeo Fratre Principatu suscepto, solus regnare cupiens Fratrem proditoriè enecavit, quo scelere a Guilelmo Bevilacqua Fratrum Tutore objurgatus, ira incensus honoribus, ac bonis expoliatum rejecit. Omnibus tandem exosus, conspiratione Joannis Galeatii Mediolani Ducis (qui ei in Principatu successit Anno MCCCLXXXVII.) in eum concitata, Verona relicta, Venetias confugit, ibique miserrimè mortem oppetiit.

I. II. III.



UR.

Digitized by Google

URBINI.

VEronenſibus brevi examinatis nummis, ſubſequuntur Urbini ſignati, quorum
I. primus argenteus oſtendit in medio Sancti Creſcentini Martyris effigiem Urbis Patroni cum epigraphe S. CRESCENTINVS. In gyro adverſæ partis legitur DE VRBINO. In area cernitur Monogramma grandioribus Langobardis litteris compactum, enigma mihi, quod feliciorem Œdipum requirit.

Ad Guidonem Ubaldum ſpectat ſecundus æreus nummus, cujus protome in antica
II. viſitur his circumcincta litteris GVIDVS VB. VRBINI DVX. In poſtica gentilitium hujus Familiæ ſtemma cum lemmate DE FOROSEMPRONIO. Urbini cum diu Comites Montis Feltrii ſub Vicariorum titulo Principatum tenuiſſent, tandem a Xiſto IV. Pontifice Federicus Anno Chriſti MCCCCLXXVIII. Ducali prærogativa condecoratus eſt. Hic Foroſempronio a Galeatio Malateſta coempto auxit Dominatum, Urbinumque optimis, ac rarioribus referta libris Bibliotheca illuſtravit; quo vita functo, Guido Ubaldus filius ſucceſſit, qui a Cæſare Borgia, Valentino dicto, Pontificiis armis freto, per dolum Principatu expulſus, poſt varios ſævientis fortunæ caſus Ditione recuperata ſatis conceſſit. *Guicciard. in Hiſt. Ital. lib. V.*

In area tertii ænei nummi obſervatur
III. Grus ales vigil, idcirco optimi Ducis, ac fortis Viri ſymbolum, cum epigraphe GV. VB. DVX VRB; hoc eſt *Guido Ubaldus Dux Urbini*. A tergo Urbini Inſigne, in quo ſtant tres zonæ oblique ab latere dextero exaratæ, cum lemmate CIVITAS VRBINI.

Idem Urbis Inſigne cum eadem inſcri-
IV. ptione repræſentatur in æreo quarto nummo; at in poſtica extollitur Quercus Roboreæ Familiæ Icon teſſeraria, cum litteris in margine FRANCiſcus MARIA. Guidonis Ubaldi Margareta unica Soror Juliani Roverei (qui fuit Julius II.) artibus, Joanni Fratri Senogalliæ Comiti, ac Romæ Præfecto deſponſata eſt, ex quibus Franciſcus naſcitur, in expoſito nummo notatus, Guidonis Ubaldi emortui Succeſſor.

Ad eundem Franciſcum attinet quintus
V. argenteus nummus, in cujus medio oſtenditur Aquila reſpiciens Solem hiſce vocibus circumdata FRANCiſcus MAria DVX VRBINI. Alterius frontis area Apoſtoli Thomæ in genibus flexi in latus Domini digitum immittentis ornatur imagine, cum lemmate CREDERE TVTIVS.

Sextus æneus nummus repræſentat in VI.
medio gentilitium Mediceorum ſtemma his vocibus circumſcriptum LAVrentius MEDICES DVX. A tergo VRBINI litteris in quercea corona exaratis. Franciſco (ut innuimus in III. nummo Piſauri percuſſo) Cardinalis Alidoxi cæde, aliiſque inquinato noxis a Leonis X. armis e Principatu ejecto Laurenzino Nepoti Ditio conceditur, addito Ducis titulo, a quo expoſitus nummus ſignatur. Cæterum Laurenzius foris ab Urbinate aſſiduo bello vexatus, intus lenta febri cruciatus, poſt duos Dominatus annos in juventutis flore evanuit; nec multo poſt Leone etiam ſublato, Franciſcus amiſſæ Ditionis pacificam poſſeſſionem Gallorum ope recepit. Reliquos porro nummos a Guidone Ubaldo Franciſci filio Urbini percuſſos; nec non Mutinenſes, ac Regienſes ſub Hercule II., Mantuanos ſub Federico II., & Franciſco filio, Parmenſes ſub Aloyſio Farneſio, ac Octavio, Mirandulanos ſub Galeotto II., & Ludovico filio ſignatos, alioſque in meo ſtudio ſervatos, utpotè recentiores, & ultra inſtitutum noſtrum procurrentes, omiſimus.

I.



II.

III.

IV.

Digitized by Google

IV.



VI.

V.

Præ cæteris corrigenda.

Pag.	5.	linea 13.	*lege* At cum Clementis VII. juſſibus
	7.	31.	anno MCCCCXXXIII.
	8.	35.	anno MCCCCXXXXIII.
	8.	45.	ad ſuperos vocatus eſt
	9.	20.	ſed verſa deinde
	9.	28.	ex humanis deceſſit
	10.	19.	anno MDXXVII.
	10.	26.	Filiam Guidoni
	10.	7.	NICHOŁ MARCHIO
	11.	32.	cum Venetis geſto
	13.	27.	Cap. CLXIX. prodidit
	16.	7.	anno Chriſti MCCCXXVIII.
	23.	45.	ſtat epigraphes VRBINI
	26.	20.	unius denarii tribus granis minus ponderis
	28.	46.	cum ſolita inſcriptione
	31.	42.	Guidonis Ubaldi Joanna unica Soror,
	8.	29.	dele. Dominatum tenuit

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 00921 9786

B 3 9015 00231 378 4
University of Michigan - BUHR

Digitized by Google

Digitized by Google